

Visual Library Portal

Digitalisierung von Drucken des 18. Jahrhunderts

**Introductio in libros canonicos veteris Testamenti, ut et
eos, qui Apocryphi dicuntur, ad usum studiosae juventutis**

Moldenhawer, Johann Heinrich Daniel

Regiomonti, 1744

urn:nbn:de:s2w-2716

JOH. HENR. DAN. MOLDENHAWERI
INTRODVCTIO
IN
LIBROS CANONICOS
VETERIS
TESTAMENTI,
VT ET EOS,
QVI
APOCRYPHI
DICVNTVR,
AD VSVM
STVDIOSÆ IVENTVTIS.

REGIOMONTI,
OPERA ET IMPENSIS IOH. HENR. HARTVNGII.
MDCCXXXIII.

JOHANNES DAV. HENNINGHAUSEN

IMPROBATIONIS

LIBROS CANONICOS

ALPHABETICIS

TESTAMENTI

UT ET

ALPHABETI

DE

AD 1874

STADII IVINIVITIS

REGIONUM

OPUS IN HONOREM HENR. HARTMANNI

MDCCLXXIII

PARS I.
DE
LIBRIS SACRIS
VETERIS TESTAMENTI.



DEFINITIO LIBRORUM SACRORUM V. T. *Libri sacri V. T.* sunt illi libri sacri, qui ante Christum Servatorem nostrum natum scripti sunt.

II. RATIO APPELLATIONIS. Vocantur libri Veteris Testamenti, quia illo tempore, quo consignati sunt, adhuc Vetus Testamentum, five vetus divina œconomia aut dispositio viguit.

III. DIVISIO. Dividuntur in libros *Canonicos & Apocryphos.*

SECTIO I.
DE
LIBRIS CANONICIS V. T.

I. DEFINITIO. *Libri canonici V. T.* sunt illi libri sacri, qui ante Christum natum a viris θεοπνεύματος consignati, & ad perpetuam fidei & morum normam ecclesiæ traditi sunt.

II. RATIO APPELLATIONIS. Illa sine dubio desumta est ex Gal. VI. 15. 16. & Phil. III. 16.

A

Vocantur

Vocantur hi libri *canonici*, quia *canonem*, sive normam, aut regulam continent, ad quam unice *fides* nostra & universæ nostræ *actiones* exigere debent; sive fidei morumque nostrorum immotum constituunt canonem.

III. INDEX LIBRORUM CANONICORUM V.

T. Sunt nobis canonici libri V. T. *Pentateuchus*, s. V. libri *Mosis*, liber *Josue*, *Judicum*, *Ruthæ*, I. & II. *Samuelis*, I. & II. *Regum*, I. & II. *Chronicorum*, *Nehemiæ*, *Estheræ*, *Jobi*, *Psalterium*, *Proverbia Salomonis*, *Cobeleth*, *Canticum Canticorum* & *Prophetiæ Jesaïæ*, *Jeremiæ*, cum *Threnis* ejusdem, *Ezechielis*, *Danielis*, *Hosæ*, *Joelis*, *Amosi*, *Obadiæ*, *Jonæ*, *Michæ*, *Nabumi*, *Habacuci*, *Zephaniæ*, *Haggæi*, *Zachariæ* & *Malachîæ*. Et hos non alios *Ecclesiam Judaicam* & *Christianam antiquam* pro canonicis libris habuisse, constat ex testimonio JOSEPHI L. I. contra Apionem, quod etiam ab EUSEBIO *Hist. Eccl.* L. III. c. X. allegatur, MELITONIS apud EUSEB. H. E. L. IV. c. XXVI. ORIGENIS in *expos.* Ps. I. & apud EUSEBIUM H. E. L. VI. c. XXV. HIERONYMI in *prol. galeato*, & ATHANASII in *Synopsi.* Conf. Sect. II. N. II.

Quod autem hi libri ad unum omnes sint vere *canonici*, extra controversiæ aleam positum est; nam

- i. Ejusmodi veritates continent, quæ homini quidem scitu sunt necessariæ, at solo lumine naturæ cognosci non possunt, & speciatim *viam reconciliationis hominis cum Deo* monstrant; quæ neque sibi met ipsis, neque rationi & experientiæ, veritatibusque necessariis contradicunt; & quæ sunt antiquissimæ. Quis vero nescit, hos esse characteres veræ divinæ revelationis?

2. Scriptores horum librorum testantur, se divinitus sibi tradita & revelata scripsisse, & nulla est ratio, quæ jubeat, testimonium illorum in dubium vocare. Nam non tantum veritatem illorum, quæ scripserunt, perspectam habuerunt, sed etiam scribere voluerunt, siquidem consideratio horum scriptorum omnem remonet fraudis suspicionem.
3. Christus & Apostoli ad hos libros tanquam ad divina oracula in dirimendis fidei controversiis, & in formandis moribus vitæ provocant. Conf. Matth. XVII. 5. Luc. X. 16.
4. Petrus vir θεόπνευστος (Actor. XV. 28. 7. V. 3.) sermonem propheticum Thaborica revelatione, voceque de cælo delapsa, firmiorem esse adserit, 2 Petr. I. 18. eundemque a Spiritu sancto profectum esse, perhibet. 2 Petr. I. 20. 21.
5. Paulus vir θεόπνευστος (1 Cor. VII. 40. Rom. XV. 18.) scripta Veteris Testamenti eloquia divina appellat, Rom. III. 2. & θεόπνευστα esse testatur. 2 Tim. III. 16.
6. Vaticinia, maxime illa, quæ Christum spectant, tot seculis eventus suos antevertentia, exacte impleta sunt. Gen. XV. 13-16. coll. Exod. III. 6-10. Jos. VI. 26. coll. 1 Reg. XVI. 34. Gen. XLIX. 10. Jes. VII. 14. Dan. IX. 24-27. Mich. V. 1. &c. conf. Deut. XVIII. 21. 22. Jes. XLI. 22. 23. XLVI. 9. 10.
7. Gaudent vi supernaturali spiritualiter cæcos mortuosque illuminandi, excitandi, vitam spiritualem dandi &c. Rom. I. 16. 1 Petr. I. 23.
8. Qui hos libros mente attendit & voluntati divinæ malitiose non reluctante legit & meditatur, ille vel per sola illorum effata intellectum suum ad assensum, & voluntatem ad obsequium,

affectusque convenientes excitari in se ipso experietur. Ille vero demum hos libros omni dubio remoto pro certissimo verbo Dei habet, qui veritatibus, quæ illis continentur, morem gerit, Joh. VII. 17. nam tunc intellectus per Spiritus sancti gratiam ita illuminatur, ut absolute certus reddatur, illos esse divinos, sive a Deo profectos. Eph. I. 13.

IV. NUMERUS LIBRORUM CANONICORUM

V. T. A Christianis numerantur XXXIX. vid. num. III. & X. ab Hebræis recentioribus vero compendii causa XXIV. quorum numerus ita instituitur: V. Mosaici, VIII. Prophetici, scilicet: liber *Josue*, *Judicum*, *Samuelis*, *Regum*, *Jesaiæ*, *Jeremiæ*, *Ezechielis* & liber duodecim Prophetarum minorum, sive δωδεκαπρόφητων, hebraice שְׁנַיִם עָשָׂר & chaldaice תְּרֵי עָשָׂר h. e. duodecim, nam hi XII. libri a Judæis pro unico numerantur; & XI. *Hagiographa*, quo pertinent: liber *Psalmodiarum*, *Jobi*, *Proverbiorum*, *Canticum*, liber *Ruthæ*, *Threni Jeremiæ*, *Cobeleth*, liber *Estheræ*, *Danielis*, *Esræ* & *Nehemiæ*, qui pro uno numeratur, & *Chronicorum*. Antiquiores Judæi (vid. JOSEPHUM L. I. contra Ap.) in subsidium memoriæ juxta literas alphabeti hebraici XXII. tantum numerarunt, librum *Ruthæ* ad librum *Judicum*, & *Threnos Jeremiæ* ad illius *Prophetiam* referentes; & hicce numerus Patribus fuit notissimus, nam ORIGENES apud Eusebium H. E. L. VI. c. XXV. *Non est, inquit, ignorandum, viginti & duos esse libros Veteris Testamenti, sicut ab Hebræis traditur, qui numerus etiam literarum apud eos habetur.*

V. APPELLATIO LIBRORUM CANONICORUM V. T. JUDÆIS USITATA. Vocantur

a Ju-

a Judæis מִקְרָא lectio s. lectura, Nehem. VIII. 8.
 הוֹרָה doctrina sive institutio, מִכְתָּב scriptura,
 מְגִלָּה volumen, בַּיִת מִקְדָּשׁ domus sanctuarii,
 עֶשְׂרִים וְאַרְבָּעָה viginti quatuor scilicet libri &c.

VI. CONSTITUTIO CANONIS. Ante exstructionem templi Salomonis, omnes libri canonici ad latus arcæ fœderis in peculiari capsula sive cista publice asservati sunt, (Deut. XXXI. 24-26.) ut ad illos in quavis controversia & re dubia recurrere liceret; at exstructo jam templo Salomoneo theca hæc librorum sacrorum in gazophylacio templi custodita, & accedentibus subinde novis libris, qui pro divinis agniti sunt, aucta est. Nam usus autographorum librorum (Deut. XVII. 18. 19.) poscebat ad hanc arcam aditum, qui vero in Sanctum Sanctorum uni tantum Pontifici summo, & quidem unica expiationis die patebat, immo tantum arca fœderis solas complexa tabulas lapideas legis, in Sanctum Sanctorum illata est, (1 Reg. XVIII. 6-9.) & Autographa Mosis non in Sancto Sanctorum, sed in gazophylacio, in domo Domini, a Pontifice Hilkia inventa sunt. (2 Paralip. XXXIV. 14. 15.) Postea templo per Chaldæos vastato, Autographa procul dubio perierunt, ast remanserunt Apographa, (Dan. IX. 11. Nehem. VIII. 1.) & in unum systema redacta sunt. Quisnam hunc laborem subierit, deficientibus documentis, certo quidem definiri nequit, in illo autem ESRAM & NEHEMIAM occupatos fuisse, svadent zelus illorum, quo pro lege & cultu Dei flagrarunt, (Esr. VII. 6. 10.) & testimonium auctoris libri II. Maccab. quod legitur c. II. 13. Canonem hunc MALACHI-AS, Prophetarum ultimus, illustri sigillo obsignavit, c. IV. 4. 5. & vero videtur simile, quod Judæi novam arcam fabricati sint, & in illa libros cano-

nicos in templo posteriori ad tempora usque
Messiæ afferaverint.

VII. LINGUA, QUA LIBRI CANONICI V.

T. SCRIPTI SUNT. Illa est *hebraica*, quæ
Judæis fuit vernacula, & a quo ceteræ orientales
eo tempore modo instar dialectorum disjunctæ
fuerunt, exceptis illis, quæ leguntur Gen. XXXI.
47. Jer. X. II. Dan. II. 4 - VII. 1 - fin. Efr. IV.
8 - VI. 1 - 18. VII. 12 - 26. nam illa lingua chaldaica
conscripta sunt, & quidem hanc ob causam: Mo-
ses ipsa verba, quibus Laban Chaldæus usus fuit,
referre voluit; Jeremias Judæos, quibus captivitas
babylonica imminabat, instruxit, Idololatriam
Chaldæorum, propria illorum lingua redarguere;
Daniel non modo in ipsa Chaldæa scripsit, sed
etiam formalia, ut vocant, verba magorum &
Nebucadnezaris patria sua lingua loquentium re-
ferre voluit, & chaldaicæ ac hebraicæ linguæ pe-
ritus, nunc hebraica nunc chaldaica lingua est
usus; & Esra post captivitatem babyloniam scri-
psit, quo tempore per ipsam illam captivitatem,
lingua chaldaica Judæis nota fuit, & illam pari
dexteritate ac hebraicam loquuti sunt.

VIII. INTEGRITAS LIBRORUM CANONI-

CORUM V. T. Quod hi libri integri, sive a
factis corruptionibus universalibus, in rebus ma-
joris & minoris momenti immunes, aut ad illum
prorsus modum ad nos devenerint, quo primum
a Spiritu Dei suggesti, & ex *θεοπνευσία* literis con-
signati sunt, nec vel Judæorum malitia, vel libra-
riorum incuria, aut correctorum audacia corru-
ptionis quicquam admiserint, in propatulo est:
nam

I. Dati sunt a Deo hominibus in normam creden-
dorum & agendorum ad salutem; quod si vero
in

in illis genuina lectio periisset, non possent amplius in credendis agendisque saltem non in omnibus normam constituere, ac Deus proinde scopo suo excidisset; quod vero absurdum.

2. Si Judæi hos libros mutilassent, procul dubio ex illis narrationes factorum sibi adversas sustulissent. Si illos ante Christum natum corrupissent, Christus & Apostoli, qui leviora reprehenderunt, tantum facinus non reticuisissent, neque homines citra omnem cautionem ad lectionem illorum ablegassent. Et si illos postea depravassent, tunc certe illustrissima ac præcipua de Christo vaticinia, & proinde testimonia a Christo & Apostolis citata sustulissent, quod vero neutiquam factum.
3. Judæi non potuerunt hos libros corrumpere, neque ante neque post Christi tempora. Nam *ante Christum natum* libri hi & præcipue Mosis & Prophetarum, & quinque sic dicti festivales prælecti sunt publice; exemplarium multitudo, quam usus in tot Synagogis ubique terrarum sabbaticus supponit, corruptionem universalem non permisit; versiones antiquissimæ, quæ in quam plurimorum, & inter hos gentium manibus erant, ejusmodi corruptioni obstiterunt, siquidem corruptelas fontibus illatas digito velut indice e vestigio prodidissent; & Judæi statim post canonem clausum in sectas inter se dissentientes fuere divisi, quarum altera alteri invigilavit, ita ut nulla seorsum in fallendo codice sacro quicquam tentare potuerit. *Et post Christum natum* libri hi in Christianorum fuerunt manibus, qui statim malitiam fraudesque illorum detexissent, imo Judæi per totum terrarum orbem dispersi non potuerunt omnes colligere codices, ut illos vitiarent.

4. Judæorum erga hos libros reverentia semper tanta fuit, ut apud multos jam dudum in superstitionem abierit; imo omni tempore parati fuerunt, mortem potius & omnia tormenta subire, quam vel unum apicem S. Scripturæ mutare, teste PHILONE apud EUSEBIUM Præp. Evang. L. VIII. c. II. Ab ipsis quoque legibus sancitum est, eum, qui vel minimum in Bibliis mutet, peccatum committere inexpiabile.
5. Masorethæ antiquissimis temporibus omnes versus, voces & literas, ne quid periret, numerarunt, quod stupendum opus etiam minoris momenti erroribus, quos librariorum incuria admittere potest, omnem viam præclusit, quapropter Masora sepes legis apud Judæos audit.
6. Quam diligenter ante hæc tempora Biblia S. descripserint, quamque attentis semper oculis opus Masoretharum respexerint, manuscripti eorum testantur codices. Certe, accuratio Judæorum in describendis & recognoscendis codicibus Bibliorum ebræis, ad superstitionem usque sollicita est.
7. Casu quocunque tale evenire non potuit, ut iisdem in locis, eundem prorsus ad modum omnes omnium seculorum codices non modo, sed versiones quoque ac interpretes, nemine vel Judæorum vel Christianorum advertente, præcavente, aut de tali infortunio monente saltem, vitium caperent, nam hoc esset stupendum prorsus miraculum. Apographa quidem, quæ hodie supersunt, fere singula suis obnoxia sunt mendis, sed non uniformiter, non iisdem in vocibus, & locis, non per omnia omnino exemplaria, sed quod in uno legitur mendose,
id

id emendate habetur in aliis, & notæ Masorethicæ veram & primigeniam lectionem referunt.

IX. PARTITIO LIBRORUM CANONICORUM V. T. JUDAICA. Judæi hos libros dispeſcunt in tres partes, quæ ſunt:

1. תורה i. e. lex, quæ complectitur Pentateuchum, ſive V. libros *Mofis*.
2. נביאים i. e. *Prophetæ*, a Judæis diviſi in ראשונים *priores*, quo referunt librum *Jofua*, *Judicum*, *Samuelis* & *Regum*, & אחרונים *posteriores*, qui ſunt *Eſaias* *Jeremias* *Ezechiël*, & δωδεκαπόφηλον. Vid. N. IV.
3. כתובים *ſcripta ſc. ſacra*, ſ. *Hagiographa*, quæ complectuntur omnes reliquos libros *Canonicos*, ſcil. 1) *tres metricos*: *Pſalmos*, *Proverbia* & *librum Jobi*, ab initialibus literis אמת dictos. 2) *חמש מגלות* *quinque volumina*, *Canticum Canticorum*, *librum Ruthæ*, *Threnos*, *Cobeleth*, & *librum Eſtheræ*, quorum lectio in diebus feſtis lectioni legis adjungitur, & 3) *librum Danielis*, *Eſræ*, *Nehemiæ*, (qui *ſecundus Eſræ* dici ſolet,) & *verba dierum*, ſ. *librum Chronicorum*. Circa quam partitionem notandum eſt: 1) Judæi *primam* partem appellant legem, quia in Pentateucho continentur præcepta, ſecundum quæ unusquisque vitam ſuam inſtituere debet; *ſecundam* *Prophetas*, quia *Prophetæ* hos libros conſcripſerunt; & *tertiam* *Hagiographa*, quia hi libri non traditi per os, ſicut lex *Mofis*, ſed tantum ſcripti, & quidem non per ſomnium, viſionem, auditionem vocis alicujus & ecſtaſin, ut pleraque ſcripta *Prophetarum*, ſed excitante & ſuggerente divina quadam facultate,

quam hi scriptores super se quiescentem fenserunt. 2) Libros Mosis excipiunt scripta Prophetarum, non quasi Moses in Prophetis locum non habeat, sed quod reliquos omnes dignitate longe supergressus, eodem cum ceteris censu non habendus sit. 3) Liber Josuæ & Judicum prophetis adnumeratur, quia uterque, ut plurimi sentiunt, Samuelem auctorem habet. 4) Prophetas dividunt in priores & posteriores, non ratione dignitatis, sed temporis. 5) Christus partitionem hanc judaicam respexisse videtur, Luc. XXIV. 44. si modo ponatur, Psalmos synechdochice venire pro Hagiographis, quorum illi pars prior & major sunt. 6) Divisio hæc neutiquam est accurata, nam omnes libri canonici V. T. sunt Hagiographi, libri historici divelluntur, & Daniel e numero Prophetarum excluditur.

X. ORDO LIBRORUM CANONICORUM V. T. QUI APPARET IN VERSIONE B. LUTHERI. Ille diversus est ab eo, qui in codice hebraico conspicitur, nam

Primum locum obtinent historici omnes, qui tradunt historiam s. originem & fata ecclesiæ Dei in V. T. quod faciunt

- a. ante possessionem terræ promissæ, *V. libri Mosis.*
- b. In ipsa occupatione, *liber Josuæ.*
- c. Post occupationem, & quidem
 - α Republica florente
 - 1. sub Judicibus, *liber Judicum, liber Ruthæ & I. Samuelis,*
 - 2. sub Regibus, *I. & II. Samuelis, I. & II. Regum, I. & II. Chronicorum.*
 - β Republica collapsa

1. In Judæa, liber *Esdrae & Nehemiae*,
2. In Babylonia, liber *Estheræ*.

Secundum locum tenent didactici, qui sunt vel

1. *Pöetici*; s. certo metro, nobis vero ignoto, inclusi, nimirum liber *Jobi*, *Psalmi*, & *III. scripta Salomonis*. Judæi quidem tantum librum *Jobi*, *Psalms*, *Proverbia* pro metricis agnoscunt, quia illi soli metrica accentuatione gaudent, quæ vero non valida est ratio, siquidem accentus metrum non absolvunt, nec semper indicant. Vid. 2 *Sam.* XXII. coll. *Pf.* XVIII. vel
2. *Prophetici*, quorum *IV. majores*, liber *Jesaiæ*, *Jeremiæ*, *Ezechielis & Danielis*, & *XII. minores*, ab *Hosea* usque ad *Malachiam*, cujus distinctionis rationem vid. *P. I. Sect. I. Cap. III. N. V.*

Circa hunc ordinem partitionemque observandum est: 1) LUTHERUS, quod ad ordinem quem elegit attinet, sequutus est versionem τῶν septuaginta, & vulgatam. 2) Hicce ordo accuratior est illo, qui apparet in Codice Ebræo, nam liber *Prophetæ Danielis* locum suum habet inter scripta *Prophetarum*, scripta *Salomonis* æque & *Jeremiæ* non separantur, & libri *historici* non divelluntur, imo justo *historiæ* temporumque ordine se excipiunt, excepto tantum libro *Estheræ*, cujus *historia* præcessit *historiæ* *Nehemiæ*; quia vero *Nehemiæ* narrationes cum rebus *Esræ* arctissimo nexu coherent, & ad populum in *Judæa* jam rursus habitantem pertinent, istis hæc de extraneis *Judæis* agens *historia* merito postponenda fuit.

XI. PARTICULARISSINGULORUM LIBRORUM IN SUAS SECTIONES DIVISIO, sive TEXTVS DISTINCTIO.

Judæi

Judæi distinguunt, & quidem

1. Textum omnium librorum canonicorum per פְּרָקִים f. קְפִיטוּלֵי *capita*, סְדָרִים *certos ordines* & פְּסוּקִים *versus*. *Capita* a Christianis ad Judæos transferunt, & a MARDOCHÆONATHANE in concordantiis suis ebraicis primum adoptata sunt. *Sedarim* f. ordines sunt segmenta majora, quæ vero a capitibus hodie usitatis sunt diversa, nam e.g. Masora finalis Genesi subjecta librum illum XLIII. Sedarim & L. Capitibus constare indicat, usus vero horum segmentorum dudum jam obsolevit. Et *versus* sunt segmenta minor, quorum unumquodque duobus punctis, (סוּף פְּסוּקִים *finis versus* dictis,) antecedente accentu maxime distinctivo Silluk terminatur. Elias Levita putat, ante Esræ tempore univrsam legem unius instar versus fuisse; qui vero statuunt, scriptores sacros puncta accentuum adhibuisse, illi iisdem distinctionem librorum in versus adscribunt.
2. *Pentateuchum* dividunt in פְּרָשִׁיּוֹת *Paraschas* f. *sectiones separatas*, quæ sunt vel majores vel minores. Quod ad *majores* attinet, sunt illæ vel פְּתוּחוֹת *apertæ*, vel סְתוּמוֹת *clausæ*, quæ etiam סְמוּכוֹת *conjunctæ* dicuntur. *Apertæ* signantur triplici פַּ majori, & vocantur *apertæ*, quia ab initio versus sive lineæ incipiunt; *clausæ* vero signantur triplici סַ majori, & dicuntur *clausæ*, quia illud spatium, in cujus medio sectio incipit, utrinque eadem linea clauditur. His omnibus inditæ sunt peculiæ appellations, desumptæ vel a prima voce sectionis, vel a prima voce maxime emphatica, & numerus illarum est LIV. Nam in *Genesi* XII. in *Exodo* XI. in *Levitico* X. in *Numeris* X. & in *Deuteronomio* XI. exstant.
Habent

Habent autem Judæi LIV. Paraschas, eum in finem, ut Pentateuchus lectione publica in Synagogis facta, quotannis absolvatur. Ad nostri Calendarii quidem rationem pro numero hebdomadam LII. Paraschæ sufficerent; ast Calendarii Judæorum alia est ratio, illorum enim annus lunaris constans XII. mensibus, alternatim XXIX. & XXX. dies numerantibus, cum L. tantum hebdomades & IV. dies complectatur, necesse habent, quo vis anno tertio novum quasi mensem XXX. dierum interserere, quem post mensem אדר Adar, s. Februarium nostrum collocatum אדר אדר *Adar repetitum* appellant. Intercalares ergo anni Judæorum LIV. Sabbata numerant, totidemque propterea requirunt Paraschas, in vulgaribus autem annis duas breves alicubi conjungunt. Quod tempore Apostolorum Pentateuchus publice in Synagogis lectus fuerit, ex Act. XIII. 15. conficitur, & Jacobus Act. XV. 21. prælectionis hujus ritum a longis retro seculis arcessit. Sunt, qui prælectionis hujus sabbaticæ institutum ad Mosen referunt auctorem, vel tempora morti Mosis proxima, provocantes ad Lev. XXIII. 3. Deut. XXXIII. 10. XXXI. 10. 11. Quod vero ad determinationem Parascharum attinet, qua sua singulis sabbatis pensa addicta, & libri Mosæici in eas, quas conspiciamus, sectiones divisi sunt, illa recentioris ætatis esse videtur, & probabiliter Efræ vel Synagogæ magnæ in acceptis ferenda. *Publica* harum parascharum lectio inchoatur post *festum tabernaculorum*, die XXIII. mensis primi civilis anni, qui Ebræis *Tisri* vocatur, & nostro *Septembri* fere respondet. *Minores* Paraschæ, constitutæ in majoribus, prout majores sunt vel apertæ vel clausæ, illæ signan-

signantur unico ם minusculo, hæ vero unico ם minori, & eum in finem excogitatae & adhibitæ sunt, quia Pentateuchus olim distinctione in capita destitutus fuit.

3. *Libros Prophetarum* tam priorum quam posteriorum dispertiuntur in הפטרות Haphtaras, quæ sunt lectiones propheticæ, sensu & contentis utcunque Paraschis respondentes. Præleguntur in Synagogis publice post lectionem legis, lectio vero illarum non prout Parascharum ad finem producitur, sed textus illi tantum delibantur, quorum argumentum ad Parascham ejus diei quam proxime accedit. Vi vocis denotant *missas*, s. dimissionem, quia post illarum lectionem inclusis precibus cœtus solvitur. Quod Apostolorum tempore in Synagogis lectæ fuerint, ex Act, XIII. 15. 27. patet. Originem illarum Judæi a tempore Antiochi Epiphaniis arcessunt. Referunt: Antiochum lectionem legis tam publicam quam privatam sub pœna capitali interdixisse, & propterea quasdam propheticas pericopas paraschis Mosaicis sensu respondentes selectas, & in lectionem legis surrogatas, mortuo vero Antiocho, & cultu Judæorum restituto, lectionem legis iterum introductam, & illi lectionem Haphtararum adjectam esse. At JOSEPHUS L. XII. *Antiqu.* c. VII. perhibet, lectionem totius codicis interdictam fuisse, nam *si apud aliquem inquit, inventum fuisset volumen sacrum aut lex, ille crudeli sorte moriebatur*, ΗΦανίζετο δε ειπε βιβλος ευρεθει ιερα και νομος. Alii propterea originem illarum inde deducunt, quod Judæi post Rempublicam a Juda Maccabæo restitutam sacra sua majori zelo tractaverint, & cum scripta Mosis & Prophetarum agnoverint ejusdem esse
argu-

argumenti, & ad eundem tendere scopum, consultum duxerint, lectionem Prophetarum cum lectione legis conjungere.

Christiani textum librorum Canonorum V. T. dispeſcunt 1) in *Capita*, quæ diviſio debetur ſecundum quosdam Hugoni Cardinali, qui A. 1260. obiit, & ſecundum alios Stephano Langtho, qui A. 1228. defunctus eſt, aſt argumentorum cohæſioni & diverſitati non ſemper reſpondet, & 2) in *Versus*.

XII. NUCLEUS LIBRORUM CANONICORUM V. T. Ille eſt JESUS CHRISTUS, Servator totius mundi. Pf. XL. 8. Luc. XXIV. 25-27. 44-47. Joh. I. 45. c. V. 39. 46. Act. III. 18. 21-24. X. 43. XIII. 27. XXVI. 22. 23. Rom. I. 1. 2. X. 4. XVI. 26. 1 Cor. XV. 3. 4. 1 Petr. I. 10. 11.

CAPUT I.

DE

LIBRIS HISTORICIS.

MEMBRUM I.

DE

LIBRIS MOSIS IN GENERE.

I. APPELLATIO. Complexus librorum Moſaicorum Hebræis חֻמְשֵׁי תּוֹרָה *lex*, & חֻמְשֵׁי תּוֹרָה *quinque quinquerniones legis*, LXX. vèro Interpretibus πεντάτευχος ſc. βίβλος, *liber quinque voluminum vocatur*, nam pro diverſitate materiæ dividitur in V. libros, quorum tituli ebraici ſunt:

הַדְּבָרִים

בראשית שמות ויקרא במדבר הדברים qui probabiliter olim non *tituli librorum*, sed tantum *sectio- num* fuere, nam vero videtur simile, LXX. Interpretes volumen a MOSE scriptum in quinque libros divisisse, siquidem tituli horum librorum origine græci sunt, & proprie hebraici non dantur.

I. AUCTOR. Ille est *Moses*. Deut. XXXI. 9. 24. 2 Paralipom. XXXIV. 14. Joh. I. 45. V. 46. 47. Luc. XXIV. 44. XVI. 29. Act. XV. 21. Rom. X. 5. 2 Cor. III. 15.

Objicitur 1.) Gen. XII. 6. & XIII. 7. Respond. Moses indicat, Cananæos jam tum, tempore Abrahami Palæstinam tenuisse.

2.) c. XII. 18. coll. Jos. XIV. 13-15. Resp. perhibetur tantum in ultimo dicto, Hebronem olim vocatam fuisse Kiriath Arba.

3.) c. XIV. 14. coll. Jud. XVIII. 29. Resp. Moses respicit non urbem sed rivum illum Dan, ex quo & rivo Jor fluvium Jordanem, ac nomen illius coaluisse JOSEPHUS testatur Antiquit. L. I. c. XXI.

4.) c. XX. 7. coll. I. Sam. IX. 9. Resp. נביא illo tempore denotavit in generaliore significatione amicum Dei, sed a Samuelis temporibus in frequentiori usu arcanarum rerum indagatorem & indicem designavit, aut: vox illa נביא primum inter Ebræos in usu fuit, deinde frequentius dictio רואה adhibita, sed tandem vox illa נביא in usum revocata est.

5.) c. XXXVI. 31. Resp. Moses Propheta prævidit, Israelitas suo tempore Regem esse nacturos. Conf. Deut. XVII. 14. XXVIII. 36.

6.) Exod. XVI. 35. Resp. scripsit hæc Moses forsitan sub finem vitæ suæ.

7.) Exod. XVIII. 1. 5. coll. XIX. 1. 2. Resp. est anticipatio.

8.) Deut. I. 1. Resp. בעבר non solum trans, sed etiam cis denotat. Conf. Num. XXXII. 32. Deut. III. 8.

9.) Deut. III. 12. Resp. Israelitæ jam Peræam regionem spatiosissimam occupaverant.

10.) Deut.

- 10.) Deut. III. 14. Resp. locutio ista: *Usque ad hunc diem*, Hebræis sæpe notat rei, de qua sermo est, perpetuitatem, & propterea indicat, appellationem illam fuisse retentam.
- 11.) Deut. XI. 30. coll. Jos. V. 9. Resp. locus Gilgal, Deut. XI. 30. aut non est idem, cujus mentio injicitur Jos. V. aut si idem est, nomen jam antea habuit, ac tempore Josuæ a notabili facto cum emphasi sic vocari cœpit.
- 12.) Deut. XXXIV. 4-fin. Resp. adjecta est hæc clausula vel a Josua, vel ab Eleazaro summo sacerdote.

Quod vero ad MOSEN attinet, patria ejus est *Ægyptus*. Exod. II. 6. *Natione fuit Hebræus*. c. II. 1. 2. *Conservatio ejus & ratio nominis*, quod ipsi impostum est, legitur Exod. II. 10. coll. Ebr. XI. 23. *Genealogia* traditur Exod. VI. 16-20. *In aula regis Ægyptiorum* educatus est. c. II. 10. *Perdoctum* fuisse, testatur Stephanus Act. VII. 22. Ex Ægypto abnegata dignitate, Ebr. XI. 24-27. recepit se ad *Jethronem*, sacerdotem Midianiticum, cujus *filiam* in matrimonium duxit. Exod. II. 15. 21. *Eductio Judæorum* ex Ægypto ipsi a Deo immediate demandata est, Exod. III. IV. quam quoque præstitit. c. XII. 1. coll. Ebr. XI. 29. A Deo *summus dux* Judæorum constitutus est. Exod. XIV. 31. &c. *Familiaritas* ejus cum Deo tanta fuit, quanta nunquam ulli mortalium obtigit. Exod. XXXIII. 11. Num. XII. 6-8. Deut. XXXIV. 10. *Acta* ejus augustissima in illis scriptis leguntur, quos nobis reliquit. *Pietate, constantia & patientia* fuit summa. Num. XII. 3. 7. *Ætatem* suam animi & corporis viribus integram ad CXX. annos produxit., Deut. XXXIV. 7. quorum XL. transegit in *aula Ægyptiaca*, Act. VII. 23. XL. in *exilio Midianitico*, Exod. VII. 6. & XL. in *moderamine populi Judaici*. In *deserto Zin* humani aliquid passus est, Num. XX. 12. & propterea *extra Canaan* s. Palæstinam, in *monte Pisga* diem obiit supremum. Deut. XXXIV. 1. 5. *Typus*

B CHRI-

CHRISTI fuit illustris, Deut. XVIII. 15. 18. coll. Act. III. 20-23. & omnium illorum, qui scripta nobis reliquerunt, est *antiquissimus*, Homerum circiter D. annos antecedens.

III. CHRONOLOGIA. Comprehendunt hi libri historiam MMDLIII. annorum, nam a creatione mundi usque ad mortem Josephi, vid. Membr. II.

N. X. p. 22. fluxerunt anni - - - 2369

A morte Josephi usque ad exitum ex

Ægypto, Membr. III. N. VIII. p. 28. - 144

Et inde ad introitum in Canaan, Jos. V. 6. - 40

2553

MEMBRUM II.

DE PRIMO LIBRO MOSIS.

I. INSCRIPTIO. Illa est *Hebræis* ex recepto more ab *initiali vocabulo* בְּרֵאשִׁית *in initio*. LXX. vero s. *Græcis* ab *argumento* Γενεσις, *ortus* s. *generatio*, aut *liber originum*. Gen. II. 4. Vocatur etiam a *Judeis* סֵפֶר יִצְרָחָה *liber creationis*.

II. TEMPUS SCRIPTIONIS. Probabiliter a Mose consignatus est non in exilio Midianitico, sed post *educationem Israelitarum ex Ægypto*, nam ante vocationem illam divinam in monte Horeb, Exod. III. &c. non fuit designatus propheta.

III. ARGUMENTUM. Tradit originem rerum omnium, præsertim hominis, ejusque lapsum & restitutionem, propagationem generis humani ex Adamo, corruptionem omnium fere hominum & illorum interitum per diluvium, palingenesiam mundi, vocationem Abrahami foedusque divinum cum illo, ac vitam sanctam Abrahami, Isaaci, Jacobi & Josephi, ac Jacobi, familiæque ejus migrationem in Ægyptum. IV.

IV. SCOPUS. Ille est, rerum omnium, tum creatarum, tum mali, tum quoque restauratæ veræ salutis originem memoriæ prodere, ipsique a corruptione cavere; veri Dei, creatoris cœli & terræ ab idolis distinctissimi cognitionem cultumque verum in orbe instaurare; genealogiam Messiæ, ortumque ecclesiæ & varium per multa secula progressum tradere; populum Dei de majoribus, promissionibusque illis datis certum reddere, eundemque ad fidem sanctamque vitam excitare, & ostendere, quæ causa ac ratio fuerit, cur gentibus reliquis relictis, Deus ad Abrahamum ejusque progeniem sese converterit.

V. SINGULARIA. (1) Est liber antiquissimus; & (2) non immerito fons perennis & limpidissima omnium prophetarum *scaturigo* audit.

VI. IDEA THEOLOGIÆ PATRIARCHALIS, QUAM TRADIT GENESIS.

(I.) Deus est ens a se, diversum a mundo, c. I. 1. est æternus, c. XXI. 33. omniscius, c. III. 11. XV. 13-15. XVIII. 18. coll. Exod. 1. 7. & c. verax, c. VI. 7. coll. VII. XVII. 20. coll. XXV. 16. XXI. 1. 2. XXVIII. 15. XXXII. 10. omnipotens, c. XVII. 1. XVIII. 19. XXXIII. 20. XXXV. 11. sanctus & justus, c. XVIII. 25. XIX. 13. misericors & benignus, XXIV. 12. c. XXXII. 10. cupidus salutis hominum, c. VI. 3. *μακροθυμος*, ib. summus, c. XIV. 19. essentia unus, & personis trinus. c. I. 1-3. XIX. 24.

(II.) *Deus* omnia ex nihilo intra sextiduum produxit, c. I. est gubernator rerum omnium, c. XIV. 20. XLV. 5. 8. 9. L. 20. & omnium rerum providentiam gerit. c. XXII. 8. 13. 14.

(III.) Dantur angeli mali, c. III. & boni, qui piis serviunt. e. XXVIII. 12. XXXII. 1. XXIV. 7. 40.

(IV.) Deus in initio unicum virum & unicam mulierem creavit, c. I. 27. corpus viri ex pulvere formavit, ipsique animam inspiravit, c. II. 7. mulierem vero ex costa viri condidit, c. II. 21. 22. ambosque ad imaginem suam creavit, c. I. 27. V. 1. 2. quæ constitit in similitudine cum Deo magna, c. I. 26. ac pertinuit ad illam magna cognitio sapientiaque, c. II. 19. 20. 23. III. 22. sanctitas perfecta, c. II. 25. III. 22. immortalitas corporis & absentia omnium morborum & dolorum, c. II. 17. III. 10-19. dominiumque mundi, c. I. 26. 28-30. cum habitatione in Paradiso. c. II. 8.

(V.) Protoplasti fraude diaboli lapsi, imagine divina privati sunt, c. III. 1-13. & præcipue sapientia, c. III. 8. & sanctitate, v. 10. & mors, ac omnis miseria sunt fructus lapsus. v. 17-19.

(VI.) Peccatum non est a Deo, c. I. 31. homines nascuntur mali, c. V. 3. VI. 5. VIII. 21. quilibet a culpa, poena & dominio peccati liberari potest. c. III. 15. IV. 7.

(VII.) Messias futurus est, & ille est verus Deus, & verus homo, ex muliere absque semine viri exoriturus, c. III. 15. ex familia Abrahami, c. XII. 3. Isaaci, c. XVII. 19. 21. XXVI. 4. Judæ, c. XLIX. 10. antequam respublica Judaica penitus tollatur, ib. passurus & regnum diaboli destructurus, c. III. 15. ac pacem & omnia bona spiritualia hominibus, etiam gentibus, ex mera gratia, sine ullo merito collocaturus est. c. XII. 3. XXII. 18. XXVI. 4. XLIX. 10. 18.

(VIII.) Agnitio peccati & contritio cordis est necessaria. c. III. 8-13. XLII. 14. 21. 22.

(IX.) Homines per fidem justificantur, c. XV. 6. & quicquid ex fide proficiscitur, est bonum, quod non, malum. c. IV. 4. Ebr. XI. 4.

(X.) Vita sancta a quolibet geri potest & debet. c. IV. 7. V. 22. VI. 9. VII. 1. XVII. 1. Unumquemque in omnibus Deo obedire oportet. c. VI. 22. XXII. 3. Hominum est, Deum timere, c. XXII. 12. XXXI. 54. XLII. 18. laudare, c. XIV. 20. XXIV. 27. & gratiam pro præstitis beneficiis habere & agere. c. XVII. 17. XXIV. 52. Deus est adorandus, & omnia bona sunt ab illo petenda, & quidem submissa mente. c. XVII. 17. 18. XVIII. 22. & c. XXXII. 9. & c. Vota Deo nuncupata sunt solvenda. c. XXVIII. 20. XXXV. 1-3. Cognitio Dei est promovenda, c. XII. 8. XXI. 33. ejusque gloria. c. XIV. 22. 23. Idololatria est vitanda. c. XXXV. 2-4. Superbiam Deus odio habet. c. XI. 1. & c. Sacrificia a Deo instituta, c. III. 21. IV. 4. sunt offerenda. c. VIII. 20. 21. IV. 3. Jurandum a pio præstari potest. c. XXI. 24. XXIV. 3. XXXI. 54. XLVII. 31. Sabbatum observandum & sancte colendum est. c. II. 3. Pro aliis orandum est. c. XVIII. 22. & c. XX. 7. Filii filiaque parentes honorare debent. c. IX. 24. 25. Parentibus incumbit, infantibus mandata divina instillare, eosdemque ad observanda illa perducere. c. XVIII. 19. Famulitii est, heris submissum obsequium præstare. c. XVI. 6. 9. XXIV. Bella justa geri possunt. c. XIV. 13-20. Ira est peccatum. c. IV. 5. 6. XLIX. 7. Lites sunt vitandæ. c. XIII. 8. 9. Homicidium a Deo est prohibitum, & propterea vitandum. c. IV. 8-12. 15. IX. 6. Hospitalitas est exercenda, c. XVIII. 1. XIX. 1. & mansuetudo. c. L. 19-21. Matrimonium a Deo in statu integritatis est institutum, c. I. 28. II. 18. 21-24. & quilibet propterea sine peccato in illo vivere potest. c. V. 22. Proba conjux a Deo est expetenda. c. XXIV. 7. 12. Uxor viro subdita esse debet. c. III. 16. Omnes fines injusti circa matrimonium sunt vitandi. c. VI. 1. 2. Proles est donum Dei. c. IV. 1. XXV. 21. XXX. 2. 22. Impuritas est vitanda. c. XXXVIII

c. XXXVIII. 9. ut & ſcortatio, c. XXXIV. 7. adulteriumque.
c. XX. 3. 7. 9. XXXIX. 9. XXXVIII. 24.

(XI.) Deus gratia erga pios eſt affectus, c. VI. 8. illosque quart.
doque tentat, c. XXII. 1. atque ſemper cum illis eſt, c. XXVI.
3. 28. XXVIII. 15. XXXIX. 2. 3. 21. 23. ſive, curam illorum ſpe-
cialiſſimam gerit. c. XXIX. 32. XXXI. 42. XIX. 22. XV. 1.
XXXI. 7. 24. XX. 6. XXVIII. 15. XXVI. 12. XXXIX. 31. XVIII.
26. XXI. 17. XXV. 21.

(XII.) Pii peccatis infirmitatis obnoxii ſunt, c. IX. 21. XIX. 31.
XX. 11. & beneficiis divinis indigni. c. XXXII. 10.

(XIII.) Pios inter ac impios inimicitia manet. c. III. 15.

(XIV.) Sacramentum circumciſionis, quod eſt ſignum fœderis
divini, & a Deo poſteris Abrahami mandatum, eſt obſervandum,
etiam in puerulis, utpote gratiæ & fœderis utique capacibus.
c. XVII.

(XV.) Reſurrectio hominum futura eſt. c. V. 24. XXVIII. 13.
coll. Matth. XXII. 32.

(XVI.) Deus eſt Judex omnium hominum. c. XVIII. 25.

(XVII.) Vita æterna pios manet. c. V. 24. XXV. 8. XLIX. 29.
ſqq. coll. Ebr. XI. 10. 14-16.

VII. TYPI JESU CHRISTI. Illi ſunt *Adam*,
Rom. V. 14. 1 Cor. XV. 45. *Abel*, Ebr. XII. 24.
Henoch, *Noah*, Matth. XXIV. 37. Luc. XVII. 26.
Melchizedech, Pfalm. CX. Ebr. VII. *Abraham*,
Iſaac, Ebr. XI. 18. 19. *Jacob*, *Joſeph*.

VIII. VATICINIA DE CHRISTO. C. III. 15.
XII. 2. XVIII. 18. XXII. 18. XXVI. 4. XXVIII. 14.
XLIX. 10-12. 18.

IX. ALLEGATIO SEU CITATIO IN N. T.

C. I. Ebr. XI. 3. C. I. 2. 2 Petr. III. 5. v. 27. Matth. XIX. 4.
Marc. X. 6. 1 Cor. XI. 7. Jac. III. 9. c. II. 2. Ebr. IV. 4. v. 7.
1 Cor. XV. 45. 47. v. 21. 22. 1 Cor. XI. 8. 1 Tim. II. 13. v. 24.
Matth. XIX. 5. Marc. X. 7. 1 Cor. VI. 16. Eph. V. 31. c. III. 6.
1 Tim. II. 14. v. 4. 13. 2 Cor. XI. 3. v. 16. 1 Cor. XIV. 34.
v. 19. 1 Cor. XV. 21. c. IV. 4. Ebr. XI. 4. v. 8. Matth. XXIII.
35. Luc. XI. 51. 1 Joh. III. 12. Jud. v. 11. v. 10. Ebr. XII. 24.
c. V. 1. &c. Act. XVII. 26. v. 9. Jud. v. 14. v. 24. Ebr. XI. 5.
c. VI-VIII. Matth. XXIV. 37. Luc. XVII. 26. 27. Ebr. XI. 7.
1 Petr. III. 19. 20. 2 Petr. II. 5. III. 6. c. XII. 1. ſqq. Act. VII.
3-5. Ebr. XI. 8. v. 3. Gal. III. 8. 14. v. 7. & XIII. 15. Rom. IV.
13. c. XIV. 18-20. Ebr. VII. 1-10. c. XV. 5. Rom. IV. 18. v. 6.
Rom. IV. 3. 22. Gal. III. 6. v. 13-16. Act. VII. 6. 7. c. XVII. v. 4.
Rom. IV. 17. v. 10. Joh. VII. 22. Act. VII. 8. Rom. IV. 11.
v. 7. 19. Luc. I. 55. 72. v. 17. Joh. VIII. 56. Rom. IV. 19. c. XVIII.

3. & XIX. 2. 3. Ebr. XIII. 2. c. XVIII. 10. Rom. IX. 9. v. 12.
 1 Petr. III. 6. c. XIX. 15. 26. Luc. XVII. 28. 29. 32. v. 24. *sqq.*
 2 Petr. II. 6. Jud. v. 7. c. XXI. 2. *sqq.* Act. VII. 8. Ebr. XI. 11.
 Gal. IV. 22. *sqq.* v. 12. Rom. IX. 7. Ebr. XI. 18. c. XXII. 9-12.
 Jac. II. 21. Ebr. XI. 17. v. 16. 17. Luc. I. 73. 74. v. 18. Act. III.
 25. Gal. III. 16. c. XXIII. 16. 17. Act. VII. 16. c. XXV. 21. 23.
 Rom. IX. 10-12. v. 26. Act. VII. 8. v. 33. Ebr. XII. 16. c. XXVII.
 28. *sqq.* Ebr. XI. 20. XII. 17. c. XXIX. 32. *sqq.* & XXX. 5. *sqq.*
 Act. VII. 8. c. XXXVII. 4. 28. Act. VII. 9. c. XXXVIII. Matth. I.
 3. c. XXXIX. 2. XLI. 40. 41. 54. XLII. 1. XLV. 1. *sqq.* Act. VII.
 9-15. c. XLVII. 31. & XLVIII. 5. 9. Ebr. XII. 21. c. XLIX. 33.
 Act. VII. 15. c. L. 24. Ebr. XI. 22.

X. CHRONOLOGIA. Continet historiam MMCCCLXIX. annorum, nam

Seth nascitur ætatis Adami anno 130. Gen. V. 3	-	130
Enos - - - Setho annos 105 nato v. 6	-	235
Cainan - - - Enofo - 90 - - - 9	-	325
Mahaleel - - - Cainano - 70 - - - 12	-	395
Jared - - - Mahaleeli - 65 - - - 15	-	460
Enoch - - - Jaredi - 162 - - - 18	-	622
Methusala - - - Enocho - 65 - - - 21	-	687
Lamech - - - Methusalæ - 187 - - - 25	-	874
Noachus - - - Lamecho - 182 - - - 28 29	-	1056
Japhet primogenitus - - - Noacho - 500 - - - 32	-	
	coll. X. 21	1556
Orbis diluvio perit anno ætatis Noachi 600. c. VII. 6. 11.	-	1656
Arphaxad nascitur Semo anno II. post diluvium. c. XI. 10.	-	1658
Sala nascitur Arphaxado ætat. 35 c. XI. v. 12.	-	1693
Eber - - - Salæ - 30 - - - 14	-	1723
Phaleg - - - Ebero - 34 - - - 16	-	1757
Regu - - - Phalego - 30 - - - 8	-	1787
Serug - - - Regu - 32 - - - 20	-	1819
Nahor - - - Serugo - 30 - - - 22	-	1849
Thara - - - Nahori - 29 - - - 24	-	1878
Haran Nahoris primogenitus Nahori æt. 70	-	26
Abraham - - - Tharæ - 130 - c. XI. 32	-	
	coll. XII. 4. Act. VII. 4	2008
Abraham annos natus 75. Dei jussu Charane in Canaan proficiscitur. c. XV. 7. Jos. XXIV. 2. 3. Gen. XII. 7.	-	2083
Isaac - - - Abrahamo - 100 XVII. 17. 21.	-	2108
Esau & Jacob - - - Isaaco - 60 XXV. 26.	-	2168
Joseph - - - Jacobo - 91 nam cum Jacobus ante Pharaonem staret, exactis 7 annis copix & duobus sterilibus, 130 annos natus erat, c. XLV. 6. coll. XLVII. 9. atque eodem tempore Joseph habuit annos XXXIX. Nam XXX. annorum erat, cum ad		

Pharaonem

Pharaonem vocaretur, immediate ante annos copia.	
c. XLI. 46.	2259
Josephus tricenarius VII. annos fertiles totidemque steriles prædicit. c. XLI. 1. 46.	2289
Jacobus 130 annos natus, c. XLVII. 9. post annum ste- rilitatis secundum, XLV. 6. in Ægyptum descendit.	2298
Joseph moritur annos natus CX. c. L. 22.	2369

XI. PARTITIO. Continet Capp. L.

⌘ Res ante diluvium, c. I-V.

⌘ Diluvium. c. VI-IX.

⌘ Res post diluvium,

a) in genere, c. X. XI.

b) in specie,

1. Abrahami. c. XII-XXIII.

2. Isaaci. c. XXIV-XXVI.

3. Jacobi. c. XXVII-XXXVIII.

4. Josephi. c. XXXIX. - fin.

XII. LOCA NOTATU PRÆCIPUE DIGNA.

c. I. 1. 2. 26. 27. 31. II. 2. 3. 7. 17. 21-25. III. 4-7. 15-19.
22. V. 3. 24. VI. 3. 5. VIII. 21. 22. IX. 6. XII. 1-3.
XIV. 22. XV. 1. 6. XVI. 9. XVII. 1. XVIII. 14. 19. 25.
27. XX. 7. XXXII. 10. 26. 28. XXXIX. 9. 10. L. 19-21.

XIII. LOCA DIFFICILIORA. C. I. 6. 28. (coll.

I Cor. VII. 7.) II. 2. (coll. Joh. V. 17.) 17. 18. (coll. I Cor. VII.
8.) 24. (coll. Exod. XX. 12.) III. 1. 15. 22. 24. IV. 1. 7.
13. 15. 16. 23. 26. VI. 2. 3. 4. 6. (coll. I Sam. XV. 29.)
VII. 11. VIII. 1. 21. 22. (coll. I Reg. XVII. 1.) IX. 2. 3.
(coll. Job. XXXIX. 9. 10.) 21. 24-27. XI. 7. XII. 3.
XIII. 6. 16. XVI. 13. 14. XVII. 7. 14. (coll. Jos. V. 4.)
XVIII. 14. XIX. 26. XX. 16. XXI. 31. (coll. XXVI. 33.)
XXII. 1. 12. XXIII. 7. XXIV. 63. XXVIII. 16. 17. 20-22.
XXX. 14. XXXI. 54. XXXIII. 10. XLII. 15. XLIII. 34.
XLIV. 5. XLVI. 4. 26. 27. 34. XLVIII. 16. 22. XLIX. 6-27.
28. (coll. v. 2-7.)

MEMBRUM III.

DE SECUNDO LIBRO MOSIS.

I. INSCRIPTIO. *Hebræis & imprimis Rabbiniis*
a primis libri vocibus אֱלֹהִים שְׁמוֹתָּהּ *hæc sunt nomina,*

B 4

vel

vel simpliciter שְׁמוֹת; vocatur quoque a Judæis הַתּוֹרָה כֹּהֲנִים *lex sacerdotum*. Græcis vero ab *argumento* præcipuo Ἔξοδος, *Exodus* inscribitur.

II. **TEMPUS SCRIPTIONIS.** Consignatus est a Mose post latam a Deo in monte Sinai legem & exstructum tabernaculum, c. XIX. XX. XL.

III. **ARGUMENTUM.** Continet afflictiones Israelitarum in Ægypto, vocationem Mosis, plagas a Deo Ægyptiis inflictas, exitum Israelitarum & deductionem per mare rubrum in desertum, itinera in eodem ad montem Sinai, pugnam cum Amalekitis, miracula divina, leges a Deo populo datas inobedientiam, incredulitatem, murmurationem & idololatriam Judæorum in deserto, apparatus rerum omnium ad cultum divinum pertinentium & erectionem tabernaculi.

IV. **SCOPUS.** Ille est, memoriam exitus Israelitarum ex Ægypto, tanquam illustris beneficii divini conservare; promissionis, Abrahamo de multiplicando semine ejus, & educatione illius ex Ægypto factæ, (Gen. XV. 13. 14.) impletionem ostendere; divinæ gratiæ, summæ patientiæ, omnipotentæ & justitiæ luculenta specimina tradere; ipsa Theocraticæ reipublicæ fundamenta describere; leges a Deo datas Israelitis ob oculos ponere & ad posteros propagare; infirmitatem hominum etiam post accepta a Deo maxima beneficia divulgare; populo Judaico timorem Dei instillare; res futuras, suoque tempore apparituras, suis quasi umbris ac figuris delineatas repræsentare; & ecclesiam Dei omnium temporum de luctibus & fluctibus variorum periculorum patienter exantlandis, & de felici omnium calamitatum eventu commonefacere.

V. **SINGULARIA.** (1) Describit magnam illam & gloriosam promulgationem Decalogi, qui est summa compendiaria & brevis elenchus omnium legum

legum divinarum. (2) Siftit nobis sacramenta novi testamenti præfigurata, nam mare rubrum est typus baptismi, & agnus paschalis sacræ coenæ. (3) Docet nos providentiam divinam in conservanda, propaganda & liberanda ecclesia. (4) Multa in Psalmis & N. T. leguntur, quæ sine collatione cum hoc libro commode intelligi nequeunt. (5) Ostendit nobis tentationes, quibus a servitute Pharaonis infernalis vindicatus, & ad Canaan cœlestem iter faciens, expositus est, ac simul demonstrat, quod Deus illi in omnibus angustiis præstet. (6) Documento manifestissimo est, *religionem Judaicam a Deo esse revelatam*, & proinde *divinæ originis*. Nam enarrat primo, quod Deus montem Sinai descenderit, & legem moralem, X. præceptis comprehensam, clarissima voce inter tonitrua & fulmina proclamaverit, quod verba a Deo prolata, ab universo populo, quamvis ille ingentis multitudinis esset, auribus percepta sint, & quod populus, cuia fermocinationem Dei diutius ferre non potuit, Mosen rogaverit, ut mediatoris officio fungeretur, & a Deo accepta ipsi referret, fide data, fore se promptum ad suscipiendum & exsequendum omnia a Deo mandata. c. XIX. 16-20. XX. 5. seqq. 8. 19. 22. XXIV. 3. Quod autem hæc omnia vere acciderint, nemo sanæ mentis negabit, nam hic liber a Mose editus est viventibus adhuc illis, quorum tempore hæc historia contigit, c. XXIV. 4. 7. & omnium consensu vera est illa historia, quam pro vera habent testes ejusdem temporis *αὐτοπῆαι* & *αὐσηκῶσι*. Secundo hic liber docet, qua ratione Moses leges forenses & ceremoniales, quas populo Judaico tradidit, a Deo in monte Sinai acceperit; quod vero etiam hoc omnes veritatis numeros in se habeat, luce meridiana est clarius. Nam a) Moses, qui testatur, illas leges sibi

a Deo immediate datas esse, fuit vir summæ sinceritatis; siquidem suos vitæ integerrimæ nævos nequaquam dissimulavit & reticuit, favorem populi non captavit, & ducatum populi non filiis suis suæque familiæ, sed ad mandatum divinum Josuæ tradidit; & b) certum est, quam quod certissimum, quod populus legis, præcipue ceremonialis jugum *δυσβάσαντος*, Act. XV. 10. summa cum reverentia receperit, quod illud sine ulla mutatione, nedum abrogatione quam constantissime retinuerit, & quod nunquam ulla controversia mota sit de veritate *νομοθεσίας* Sinaiticæ, sed potius ad unum omnes legem hanc pro divina divini cultus ac vitæ suæ regula agnoverint, quamvis tot dissensiones inter tribus & deinceps inter diversa regna subortæ sint. Ex quo manifestum est, quod *Judæi* universi *plane convicti* fuerint, *leges illas*, quas Moses tradidit, *Deum agnoscere auctorem*. Et hæc convictio illis necessario inesse debuit, nam Aaron & LXX. seniores, viri vitæ integerrimi, c. XVIII. 21. 24. cum Mose montem Sinai ascendentes, Deum visibili quodam corpore indutum conspexerant, & Deum, Mosen ad se vocantem, audiverant. c. XXIV. 9. 10. 12. Notum illis erat, Mosen XL. dies noctesque in monte Sinai sine sumto cibo & potu transegisse. c. XXIV. 18. XXXIV: 28. Quotidie videbant ad introitum Mosis in tentorium columnam nubis descendentem, & Deum cum Mose loquentem audiebant. c. XXX. 9. 10. Splendor, quem facies Mosis circumquaque sparsit, & qui omnium oculis intolerabilis fuit, documentum illis erat commercii Mosis cum Deo familiarissimi. c. XXXIV. 29. 30. 33-35. 2 Cor. III. 7. coll. Luc. II. 9. Experientia didicerant, Mosen esse prophetam, & Spiritu divino illum agi, siquidem eventus semper responderat prædictionibus ejus, & quidem illis,
quibus

quibus futura contingentia prædixerat. c. V-XVII. Imo Moses stupenda multaque patraverat miracula, non tantum post exitum Israelitarum ex Ægypto, c. XIV. XV. 25. XVI. 4. seqq. XVII. sed & ante illum in regione Ægyptiaca, c. IV. 30. VII. 10. 20. VIII. 6. 17. 24. IX. 6. 10. 23-26. X. 13. 22. 23. XII. 23. 29. & hæc ad unum omnia in conspectu omnium Judæorum & Ægyptiorum ediderat. Præcipue notatu dignum est illud miraculum, quo aqua in sangvinem commutata est, nam non tantum aqua Nilotica, sed reliqua omnis in fluviis reliquis, in rivis, paludibus & cisternis, immo in ligneis, lapideis, aliisque vasis contenta, sangvis fuit, & quidem non horam unam & alteram, sed integros dies VII. c. VII. 17-25. adeo ut Ægyptii necesse habuerint, aquis aliunde effossis sitim restingvere; quod sane modo naturali neutiquam potuit accidere. Quid? quod ipsi Ægyptii convicti fuerunt, Mosen vere a Deo missum esse, ut educeret Judæos ad cultum Deo præstandum in deserto, c. X. 7. XI. 8. XII. 33. horumque miraculorum fama alias quoque gentes occupavit. Jos. II. 10. 11.

VI. TYPUS JESU CHRISTI. Illi sunt *Moses*. Deut. XVIII. 15. *Aaron*. Ebr. IV. 14. seqq. *Agnus paschalis*. Joh. XIX. 36. 1 Cor. V. 7. 8. *Manna*. Exod. XVI. coll. 1 Cor. X. 3. *Petra*. Exod. XVII. coll. 1 Cor. X. 4. *Propitiatorium*. Exod. XXXVII. 6. coll. Rom. III. 25. Ebr. IV. 16. *Tabernaculum*. Exod. XL. coll. Joh. I. 14. Col. II. 9.

VII. ALLEGATIO IN NOVO TESTAMENTO. C. I. 7. seqq. Act. VII. 17-19. c. II. 2. seqq. Act. VII. 20-29. Ebr. XI. 23-27. c. III. 2. seqq. Act. VII. 30-34. c. III. 6. Act. XXII. 31. 32. Marc. XII. 26. Ebr. XI. 16. c. VII. 10. seqq. Act. VII. 36. c. XII. 12. 18. Ebr. XI. 28. v. 37. Act. XIII. 17. v. 40. 41. Gal. III. 17. v. 46. Joh. XIX. 36. c. XIII. 2. Luc. II. 23. v. 21. 22. & XIV. 22. 1 Cor. X. 1. c. XIV. 14. 17. Rom. IX. 7. v. 21. Act. VII. 36. v. 22. seqq. Ebr. XI. 29. c. XVI. 13. 14. Joh. VI. 31. 49. v. 15. 1 Cor. X. 3. v. 18. 2 Cor. VIII. 18. c. XVI.

c. XVI. 2. 35. Act. XIII. 18. c. XVII. 6. 1 Cor. X. 4. v. 7. Ebr. III. 10. 11. XIX. 3. Act. VII. 38. c. XIX. 5. 1 Cor. X. 26. 28. v. 6. 1 Petr. II. 9. v. 12. *sqq.* Ebr. XII. 18. 19. 20. c. XX. 12-16. Matth. XIX. 18. 19. Marc. X. 19. Luc. XVIII. 20. Rom. XIII. 9. Jac. II. 11. v. 12. Eph. VI. 2. 3. Matth. XV. 14. Marc. VII. 10. v. 13. 14. Matth. V. 21. 27. Jac. II. 11. v. 17. Rom. VII. 7. v. 18. 19. Gal. III. 19. c. XXI. 17. Matth. XV. 14. Marc. VII. 10. v. 23. Matth. V. 38. c. XXII. 28. Act. XXIII. 5. c. XXIV. 12. 2 Cor. III. 7. c. XXIV. 6-8. XXV. 23. 31. XXVI. 33. 34-XXX. 10. Ebr. IX. 2-25. c. XXV. 2. 2 Cor. IX. 7. v. 40. Act. VII. 44. Ebr. VIII. 5. c. XXVIII. 1 Ebr. V. 4. c. XXIX. 14-16. Ebr. XIII. 11. c. XXXII. Act. VII. 39-41. v. 6. 1 Cor. X. 7. c. XXXIII. 19. Rom. IX. 15. c. XXXIV. 30. 33. 2 Cor. III. 7. 13.

VIII. CHRONOLOGIA. Continet hic liber historiam populi Judaici a morte *Josephi* usque ad initium *secundi post egressum anni*, s. usque ad destructionem tabernaculi in deserto, c. XL. 17. quæ est CXLV. annorum, ab A. M. 2369. ad annum 2514. inclusive, nam

Abraham DEI jussu in terram Canaan proficiscitur p. 22.	A. M. 2083
Et secundum Exod. XII. 40. peregrinatio Israelitarum, quæ simul comprehendit annos peregrinationis Patriarcharum, Abrahami, Isaaci & Jacobi, fuit annorum	430

Summa 2513

Jam vero liber Genesis in morte <i>Josephi</i> terminatur, anno	2369
---	------

Remanent ergo <i>historiæ in Exodo</i> comprehensæ, a morte <i>Josephi</i> ad exitum populi, anni	144
---	-----

Tabernaculum erigitur exacto post exitum anno primo. Exod. XL. 2. 17.	1
---	---

Summa 145

IX. PARTITIO. Comprehendit capp. XL.

⌘ Res ante exitum, ubi

(a)

- a) Acta Mosis. c. I-VI.
 b) Pharaonis obduratio cum X. afflictionibus.
 c. VII-XI.
 2) *Exitum ipsum.* c. XI-XIV.
 3) *Res post exitum.* c. XV-XL. ubi
 a) Miracula. c. XIV-XVII.
 b) Lex. c. XIX-XXIV.
 c) Cultus Leviticus. c. XXV-XL. cum intermixta
 legis repetitione. c. XXXII-XXXIV.

X. LOCA NOTATU PRÆCIPUE DIGNA.

C. I. 12. III. 14. IV. 10-12. 25. V. 9. 23. VIII. 15. 18. 19. 32.
 X. 16. 17. XII. 13. XIII. 21. XIV. 13-15. 24. XV. 2. 3. 11. 16.
 XVI. 8. XVII. 11. 12. XVIII. 21. XIX. 5. 6. XX. 4-17. 20.
 XXI. 12. 15. XXII. 3. 4. 19. 22. 25. XXIII. 1. 5. 8. 13. 20. 22. 25.
 XXIX. 43-46. XXXII. 8-14. 15. 16. 32-34. XXXIII. 14. 15. 17. 20.
 XXXIV. 6. 7.

XI. LOCA DIFFICILIORA. C. I. 5. (coll. Gen. XLVI.

26. 27.) 21. II. 14. 15. (coll. Hebr. XI. 27.) III. 14. IV. 16. 21.
 24. (coll. XVIII. 5.) 25. VI. 3. VII. 1. 11. 25. (coll. v. 24.) VIII.
 26. IX. 5-16. X. 22. XII. 6. 36. XIV. 23. (coll. v. 30.) XV. 25.
 XVI. 13. 15. 17. 18. XVII. 15. 16. XVIII. 12. XX. 3-5. (coll. Exod.
 XVIII. 20.) 6. (coll. Mat. I. 3.) 24. (coll. XXVII. 1.) XXI. 6.
 (coll. Lev. XXV. 41. 54.) XXII. 28. XXIII. 21. XXXII. 24. 25.
 29. 30. XXXIII. 20. XXXIV. 1. (coll. v. 28.) XXXVIII. 8.

MEMBRUM IV.

DE TERTIO LIBRO MOSIS.

- I. INSCRIPTIO. *Hebræis* ab initiali voce ויקרא
 & *vocavit*, *Græcis* vero ab argumento Λευιτικον
 sc. βιβλιον, *Leviticus* liber inscribitur, nam uni-
 versam muneris tribui Levi commissi dispositionem
 continet, Ebr. VII. 11.
 II. ARGUMENTUM. Continet leges ceremo-
 niales, politicas & morales, inaugurationem Aaro-
 nis filiorumque ejus, & interneccionem Nadabi &
 Abihu. III.

III. SCOPUS. Ille est, præcepta a Deo data & a posteris Levi populoque observanda, conservare, & Messiam ejusque sacrificium unicum per typos & figuras, quasi per vivas conciones exprimere, cultumque internum adumbrare.

IV. SINGULARIA. (1) Docet nos, quam feliciore longe forte nos tempore N. T. viventes, præ Israelitis V. T. fruamur, s. quæ ἐξοχη N. T. præ veteri sit. Act. XV. 10. (2) Sicuti hicce liber ex libris N. T. lucem splendidissimam accipit, Col. II. 17. Ebr. X. 1. ita quoque magnam libris N. T. lucem fceneratur, nam sine hujus libri accurata cognitione intelligi non possunt, quæ de Sabbato, de lepra, de conjugio, de puerperio, de pane propositionis, de oblatione, de agno tollente peccata mundi, & de sacerdotio JESU CHRISTI, & sacrificiis Christianorum narrantur.

V. ALLEGATIO IN N. T. c. VII. 15. 1 Cor. X. 18. c. XI. sqq. Ebr. IX. 10. v. 45. 1 Petr. I. 16. c. XII. 2. 8. Luc. II. 22. 24. c. XIV. 2. Matth. VIII. 4. Luc. V. 14. Marc. I. 44. c. XVI. 3. 6. Ebr. VII. 27. v. 14. Ebr. IX. 13. v. 27. Ebr. XIII. 11. c. XVII. 11. Ebr. IX. 22. c. XVIII. 5. Rom. VII. 10. X. 5. Gal. III. 12. v. 16. Matth. XIV. 4. Marc. VI. 18. c. XIX. 12. Matth. V. 33. v. 15. Joh. VII. 51. Jac. II. 9. v. 18. Matth. V. 43. XIX. 19. XXII. 39. Marc. XII. 31. Luc. X. 27. Rom. XII. 19. XIII. 9. Gal. V. 14. Jac. II. 8. c. XX. 10. Joh. VIII. 5. c. XXIV. 9. Matth. XII. 4. Marc. II. 26. v. 15. 16. Joh. XIX. 7. v. 20. Matth. V. 38. c. XXVI. 12. 2 Cor. VI. 16. v. 46. Gal. III. 19.

VI. CHRONOLOGIA. Continetur hoc libro historia unius tantum mensis, sc. ab erectione tabernaculi usque ad numerationem eorum, qui apti erant ad bellum. Exod. XL. 17. coll. Num. I. 1.

VII. PARTITIO. In tres partes hic liber dispesci potest,

I. Pars continet doctrinam de sacrificiis. c. I-VII.

II. Pars agit de personis, quæ circa sacrificia occupatæ erant. c. VIII-XXIII.

III.

III. Pars institutione de *solemnibus & festis* absolvitur. c. XXIV-XXVII.

VIII. LOCA NOTATU PRÆCIPUE DIGNA.
c. V. 1. 17. X. 1. 2. XI. 45. XVIII. 5. XIX. 11-28. 29. 32-36.
XX. 9. 10. 13. 15. XXIV. 14. XXV. 35. 37. XXVI. 4. 12. 16-19.
21. 40. 42.

IX. LOCA DIFFICILIORA. C. I. 13. III. 16. (coll. Deut. XXXII. 14.) VI. 18. X. 2. (coll. v. 4.) XI. 4. (coll. Gen. I. 31.) XVI. 2. (coll. Pf. XL. 7.) 6. (coll. Hebr. X. 4.) XVII. 11.

MEMBRUM V.

DE QUARTO LIBRO MOSIS.

I. INSCRIPTIO. Illa *Hebræis* est ab initiali voce וַיְדַבֵּר & *locutus est*, & ab exstantiori versus primi vocabulo, & quia *in deserto acta* hoc libro describuntur, בַּמִּדְבָּר *in deserto*. *Græcis vero* Ἀριθμοὶ *Numeri*, quia magna pars hujus libri consumitur *in recensioibus* bellatorum, primogenitorum, Levitarum, & mansionum *in deserto*.

II. LOCUS SCRIPTIONIS. Exaratus est a MOSE *in campis Moabiticis*. Num. XXXVI. 13.

III. ARGUMENTUM. Tradit totius populi censum, leges quasdam a Deo latas, oblationem principum, initiationem Levitarum, ordinem ad profectioem populi a Deo sancitum, inobedientiam & murmurationem populi *in deserto*, miracula & judicia divina, motus & tumultus a quibusdam excitatos, confirmationem pontificatus Aaronis, mortem Aaronis & Mirjam, erectionem serpentis ænei, afflictionem populi per Balack & Bileamum, surrogationem Josuæ in locum Mosis, Midianitas a populo victos, distributionem terræ Canaan

Canaan inceptam & narrationem profectio-
num in deserto, sive, exponit historiam profectio-
nis Israelitarum a mansione ad montem Horeb, ad
illam, quæ in campestribus Moab, e regione Hie-
richuntis instituta est.

IV. SCOPUS. Ille est, ea, quæ Israelitis viatori-
bus in deserto evenerunt, curam divinam prorsus
singularem, tentationesque, in quibus Deum offen-
derunt, una cum sequentibus Dei judiciis, ut sem-
piterno exemplo essent, memoriæ posterorum
tradere; & Theocratia fundamta, legesque &
statuta ipsa praxi confirmare & ætati venturæ com-
mendare.

V. TYPI JESU CHRISTI. C. VI. coll. Matth. II.
23. Ebr. VII. 26. c. XIX. coll. Ebr. IX. 13. 14.
XIII. 11-13. c. XX. coll. I Cor. X. 4. c. XXI.
coll. Joh. III. 14. c. XXXV.

VI. VATICINIUM DE JESU CHRISTO.
c. XXIV. 17.

VII. ALLEGATIO IN N. T. C. XI. 4. I Cor. X. 6.
c. XII. 7. Ebr. III. 2. c. XIV. 21. sqq. Ebr. III. 16. 17. v. 35.
Judæ v. 5. c. XVI. Judæ v. II. v. 41-49. I Cor. X. 10. c. XVIII.
18. I Cor. IX. 13. c. XIX. 1-5. Ebr. XIII. II. v. 12. sqq. Ebr. IX. 13.
c. XX. 10. 11. I Cor. X. 4. c. XXI. 4-6. I Cor. X. 9. v. 8. 9.
Joh. III. 14. c. XXII. 2. 2 Petr. II. 15. 16. Judæ v. II. c. XXV.
1. sqq. I Cor. X. 8. Apoc. II. 14. c. XXX. 3. Matth. V. 33.

VIII. CHRONOLOGIA. Continet historiam
XXXVIII. annorum & IX. mensium, nam de-
scribit res gestas a mense secundo, anni post exitum
secundi, Num. I. 1. usque ad initium mensis undeci-
mi, anni post egressum quadragesimi. Deut. I. 3.

IX. PARTITIO. Absolvitur hic liber IV.
partibus.

I. Pars est numeratrix, exponens censum tribuum
& Levitarum, c. I-IV.

II. Pars

II. Pars est legum quarundam ordinatrix. c. V-X.

III. Pars est rerum gestarum commemoratrix.
c. XI-XXVII.

IV. Pars est mixta, ita ut ex parte sit legalis, &
ex parte historica. c. XXVIII-XXXVI.

X. LOCA NOTATU PRÆCIPUE DIGNA.

C. VI. 23-27. X. 35. 36. XI. 4. 23. 28. 29. 31. XII. 3. 7. 8.
XIV. 8-10. 12. 24. 38. XV. 30-32. 35. XVI. 4. 22. XXII.
18. 38. XXIII. 8. 10. 19. XXIV. 15. 16. XXX. 3. XXXIII. 55.
XXXV. 31. 33. 34.

XI. LOCA DIFFICILIORA. C. IV. 3. (coll. VIII.

24. 25.) VIII. 7. (coll. Lev. XIX. 27.) X. 29. (coll. Exod. II. 18.
III. 1.) 31. (coll. v. 33.) XI. 17. 31. 32. 33. XII. 8. XIII. 3. (coll.
Jof. XIV. 7.) 33. XV. 34. (coll. Exod. XXXI. 15.) XVI. 32.
(coll. c. XXVI. 11.) 33. XVIII. 1. 19. 20. (coll. Jof. XXI. 41.) XX.
12. 18-21. (coll. Deut. II. 29.) XXI. 5. 14. 15. XXII. 12. (coll. v.
20.) v. 22. 28. XXVII. 12. (coll. Deut. XXIV. 1.)

MEMBRUM VI.

DE QUINTO LIBRO MOSIS.

I. INSCRIPTIO. Illa *Hebræis* est ab initialibus
vocibus *אלה הדברים* ista verba, & ab argumento
ex Deut. XVII. 18. *מִשְׁנֵה* repetitio sc. præci-
pue legis, *Rabbinis* *ספר תוכחות* liber reprehen-
sionum, quia Moses in illo populum severius
objurgat, ac *Græcis* ab argumento *Δευτερονομιον*
Deuteronomium, *secunda lex*. Vocatur etiam
Δευτερωσις *secundæ partes*, s. *secundus ordo*.

II. LOCUS ET TEMPUS SCRIPTIONIS. Mo-
ses hunc librum consignavit in campis Moabiticis,
c. I. 5. XXXIV. 1. paulo ante suam mortem.
c. XXXI. 14. XXXII. 48-50. XXXIV. 4. 5.

III. OCCASIO. (1) Mosis mors instans; c. XXXI. 4.

C

(2)

(2) prælens Israelitarum conditio; & (3) studium
Mosis cultum divinum conservandi.

IV. ARGUMENTUM. Continet repetitionem
& explicationem legum a Deo latarum, novis
quibusdam additis, anacephalæosin beneficiorum
a Deo populo collocatorum, gravissimam admoni-
tionem ad obedientiam Deo semper præstandam,
accanticum, benedictionem, mortemque Mosis.

V. SCOPUS. Leges a Deo datas, novo huic populo,
qui maximam partem primæ recitationi legis in
monte Sinai non interfuit, commendare & inculca-
re, eumque ad illas observandas promissionibus, mi-
nis & nova stipulatione obstringere. Deut. XXVII-
XXXI. 1-13.

VI. SINGULARIA. (1) Continet verba mo-
rientis patris, & (2) Moses regibus novis impo-
nit, ut hunc librum describant, assiduoque usu
terant, c. XVII. 18. & quolibet septimo remissio-
nis anno promiscuæ plebi eundem prælegi jubet.
c. XXXI. 10-13.

VII. VATICINIUM DE JESU CHRISTO.
c. XVIII. 15. 18. 19.

VIII. ALLEGATIO IN N. T. c. I. 17. Jac. II. 9.
c. IV. 24. Ebr. XII. 29. v. 35. Marc. XII. 32. c. V. 16-20. Matth.
XIX. 18. 19. Marc. X. 19. c. VI. 4. Marc. XII. 29. v. 5. Matth.
XXII. 37. Marc. XII. 30. Luc. X. 27. v. 13. Matth. IV. 10.
Luc. IV. 8. v. 16. Matth. IV. 7. Luc. IV. 12. c. VII. 1. Act. XIII.
19. c. VIII. 3. Matth. IV. 4. Luc. IV. 4. c. XIV. 18. 19. Ebr. VII. 11.
c. XVIII. 1. 1 Cor. IX. 13. v. 15. 18. 19. Act. III. 22. 23. VII. 37.
c. XIX. 7. c. XXIV. 1. Matth. V. 31. Marc. X. 4. Luc. XVI. 28.
v. 15. Joh. VIII. 17. Ebr. X. 28. c. XXI. 23. Gal. III. 13. c. XXII. 22.
Joh. VIII. 5. c. XXV. 4. 1 Cor. IX. 9. 1 Tim. V. 18. v. 5.
Matth. XXII. 24. Marc. XII. 19. Luc. XX. 28. v. 19. Luc. XX. 28.
c. XXVII. 26. Gal. III. 10. Jac. II. 10. c. XXVIII. 49. 1 Cor. XV. 21.
c. XXX. 12-14. Rom. X. 6-8. c. XXXII. 21. Rom. X. 19. 1 Cor.
X. 22. v. 35. Rom. XII. 19. Ebr. X. 30. v. 43. Rom. XV. 10.
c. XXXIII. 2. Act. VII. 53.

IX. CHRONOLOGIA. Continet historiam *ul-*
timorum duorum mensium, anni post exitum qua-
dragesimi,

dragesimi, & *sex circiter dierum*, ex mense I. anni XLI. nam initium hujus libri incidit in *diem primum* mensis XI. anni XL. c. I. 3. & libri Josuæ, qui cum Deuteronomio arctissime cohæret, in diem septimum mensis I. anni XLI. Jos. IV. 19. coll. c. I. II.

X. PARTITIO. Absolvitur hic liber IV. partibus.

I. Pars continet tum historicam repetitionem, tum quoque gravem exhortationem ad obsequium Deo præstandum. c. I-IV. 1-44.

II. Pars exponit leges. c. IV. 45-XXVI.

III. Pars confirmat sanctionem legis. c. XXVII-XXX.

IV. Pars exhibet nobis ultima Mosis. c. XXXI-XXXIV.

XI. LOCA NOTATU PRÆCIPUE DIGNA.

C. I. 17. IV. 2. 7-9. 24. 29. 30. 39. V. 29. VI. 4-9. 12. 13. VII. 7. 8. 10. VIII. 10-14. IX. 5. X. 12. 14. 20. XI. 13-15. 19. 26-28. XIII. 1-4. 6-8. XV. 4. 7-9. 19. XVII. 18-20. XVIII. 10. 15. 18. 19. XIX. 15. XXI. 18-21. XXII. 1-4. XXIII. 5. 17. 21. 22. XXVII. 16-18. 24. XXVIII. 6. 8. XXIX. 18-20. XXX. 19. 20. XXXII. 3-6. 35. 39. XXXIII. 3. 9.

XI. LOCA DIFFICILIORA. C. I. 1. 16. (coll

Matth. VII. 1.) 37. 39. II. 5. (coll. Pf. LX. 10. 1 Par. XIX. *germ.* 13.) II. 19. (coll. Jos. XIII. 27.) III. 11. coll. Jos. XV. 14.) IV. 7. (coll. Jos. LV. 10. (coll. Exod. XIX. 10. &c.) 48. V. 3. VI. 13. (coll. Matth. IV. 10. V. 34.) VII. 12. (coll. IX. 3.) VIII. 2. 4. IX. 23. (coll. c. I. 21-23.) X. 6. (coll. Num. XX. 22. *sqq.*) 8. (coll. Num. III. 6.) 17. (coll. Es. XLVI. 9. Gen. IV. 4.) XI. 18. 21. 24. (coll. Jud. I. 34.) XIII. 5. XIV. 21. (coll. Num. IX. 14.) XIV. 23. XV. 3. (coll. Luc. VI. 35.) 4. (coll. v. 11.) 6. (coll. Pf. XV. 1. 5.) XVI. 2. (coll. Exod. XII. 3.) 7. (coll. Exod. XII. 9.) 8. (coll. Exod. XIII. 6.) XVII. 15. (coll. 1 Sam. VIII. 7. *sqq.*) 17. XX. 16. (coll. XXI. 10. *sqq.*) 19. (coll. 2 Reg. III. 19.) XXI. 23. XXIII. 6. 10. XXIV. 1. (coll. Matth. V. 32.) XXV. 4. (coll. 1 Cor. IX. 9.) XXVII. 12. (coll. Jos. VIII. 34. XXVIII. 63. XXIX. 19. XXXII. 17. 35. (coll. Rom. XIII. 4.) 36. XXXIII. 2. 8. 9. 12. 16-25. 29. (coll. c. XXXII. 5.) XXXIV. 5. (coll. c. II. 9.)

MEMBRUM VII.

DE LIBRO JOSUÆ.

I. INSCRIPTIO. *Hebræis ab argumento סֵפֶר יְהוֹשֻׁעַ liber Josuæ, & Græcis Ἰησοῦς Ναυῆ, Jesus Nave* inscribitur.

II. AUCTOR SECUNDARIUS. Quod *Josua* hunc librum non exaraverit, constat ex c. X. 13. XV. 63. XXIV. 29-33. XV. 13-19. coll. Jud. I. 10-15. XVI. 10. coll. Jud. I. 29. c. XIX. 47. coll. Jud. XVII. 7. 29. Objicitur quidem c. XXIV. 26. at, quæ l. c. dicuntur, de solemnī fœderis pactione sunt intelligenda. Forsitan *Samuel*, aut alius vir pius ex rerum gestarum annalibus, sive monumentis a *Josua* vel *Eleazare* posteritati relictis, totum librum consignavit. Conf. c. X. 13. XXIV. 26. Certe *Esdra*s non fuit auctor, constat enim, ante *Davidis* & *Ahabi* tempora scriptum esse ex cap. XV. 63. coll. 2 Sam. V. 7. 8. c. VI. 26. coll. 1 Reg. XVI. 14. Quamvis vero auctor secundarius hujus libri nobis ignotus sit, nihil tamen canonicæ hujus libri auctoritati derogat, siquidem illa aliis fundamentis innititur. Et credere par est, quod Deus eum in finem quosdam auctores canonicorum librorum nobis absconditos esse voluerit, ut ad auctorem illorum unicum ubique respiciamus.

III. ARGUMENTUM. Describit *Josua* Israelitarum ducis res gestas, seu introductionem Israelitarum in terram *Canaan*, *Cananæorum* expulsionem, terræ distributionem, ultimamque *Josua* concionem & fata suprema. Heros ille magnus ex circumcissione obtinuit nomen הַשִּׁיעַ *servatorem* denotans, quod autem a *Mose* mutatum est, penultimo demto, & י ex יהוה præfixo, in יהוֹשֻׁעַ signi-

significans *servatorem seu salutem Domini*, aut: *Dominus est servator*. Num. XIII. 17. Sir. XLVI. 1. 2. *Natus* fuit in Ægypto, ex tribu Ephraim. 1 Par. VIII. 20. 28. (germ.) *Patrem* habuit Nun, & Mosis fuit *famulus, seu minister*. Num. XI. 28. Redux ab exploratione terræ Canaan fidem suam Deo probavit. Num. XIV. 6-9. Mose adhuc vivente in ejusdem locum a Deo constitutus est, Num. XXVII. 18-20. & dignus habitus, qui cum Calebo terram promissam adiret, reliquis, qui ex Ægypto egressi erant, in deserto occisis. Num. XXVI. 65. Populum Israeliticum in terram Canaan introduxit. Jos. III. &c. Fide fuit eximia, per quam stupenda miracula patravit. Ebr. XI. 30-33. Hostes feliciter debellavit. Terram Canaan Israelitis distribuit. Populo A. XVII. præfuit. Anno æt. CX. diem suum obiit. c. XXIV. 29. Sepultus est in Thimnath Serach. c. XXIV. 20. Jesum Christum præfiguravit nomine, instructione ad munus per Spiritum Dei facta, (Deut. XXXIV. 9. coll. Act. X. 38.) introductione in Canaan, (Ebr. IV.) fidelitate, qua munus suum obiit, (Jos. XI. 15. coll. Joh. IV. 34. VIII. 29.) & fortitudine bellica, triumphisque ex hostibus reportatis. (Luc. XI. 20-22. Col. II. 15.)

IV. SCOPUS. Ille est, (1) ut historia sacra a morte Mosis, usque ad Judicium fere ætatem continuaretur. (2) Ut promissionibus, Gen. XV. & comminationibus, Gen. IX. 25. 26. c. XV. 16. a Deo datis, sua constaret veritas. (3) Ut documenta amoris, justitiæ & potentiæ divinæ exstarent illustrissima. (4) Ut populo Dei certum omni tempore superesset testimonium ingressus sui in terram sanctam, & ejusdem distributionis. (5) Ut Josuæ & seniorum fides & pietas posteris exemplo essent. (6) Ut memoria miraculorum per fidem patratorum conservaretur.

V. SINGULARIA. (1) Stilo consignatus est puro, simplici, humili, historicis familiari, & rebus enarrandis attemperato, quem etiam in libro Judicum & Ruthæ conspicimus. (2) Tradit geographiam sacram, sive terræ Israeliticæ delineationem. (3) Siffit nobis boni principis ac strenui imperatoris imaginem.

VI. ALLEGATIO IN N. T. *c. I. 5. Ebr. XIII. 5. c. II. 2. & VI. 22, 23. Jac. II. 25. c. IV. 11. Act. VII. 45. c. VI. 17. 22, 23. Ebr. XI. 31. v. 20. Ebr. XI. 30. t. XIV. 1, 2. Act. XIII. 19. c. XXIV. 32. Joh. IV. 5. Act. VII. 16.*

VII. CHRONOLOGIA. Continet a cap. I. usque ad cap. XXIV. 1-30. historiam XVII. annorum, nam ab exitu ex Ægypto, ad initium structuræ templi, effluerunt A. 480. i Reg. VI. i. coll. v. 37. 38. Sunt vero ab exitu populi ad principatum Josuæ, per Jos. V. 6. anni - - - 40
 A morte Josuæ ad Samuelem p. 40. & 41. - 340
 A Samuele ad Davidem. Act. XIII. 21. - 40
 A Davide ad Salomonem. i Reg. II. 11. - 40
 Inde ad structuram templi. i Reg. VI. 11. coll. 37. 38. - - - 3

Summa 463

XVII. ergo anni, qui toti summæ defunt, dandi sunt regimini Josuæ.

VIII. PARTITIO. In tres partes optime dispesci potest.

I. Pars describit terræ Palestinæ occupationem. c. I-XII.

II. Ejus distributionem. c. XIII-XXII.

III. Ordinationes & monita Josuæ ultima in comitiis. c. XXIII. XXIV.

IX. LOCA NOTATU PRÆCIPUE DIGNA.

C. I. 5. 7-9. VII. 12. 19. 20. 21. IX. 20. XXII. 22. XXIII. II. 14-16. XXIV. 15. 16. 31.

X. LOCA

X. LOCA DIFFICILIORA. C. I. 5. (coll. VII. 4. 5.)
 II. (coll. c. II. 22. III. 1. 2.) V. 7. (coll. Gen. XVII. 14.) 9. VI.
 26. VII. 7. 15. (coll. v. 25.) 24. & 25. (coll. Deut. XXIV. 16.)
 32. X. 12. 13. 36. 37. (coll. c. XV. 13. sqq.) XI. 20. XIII. 25.
 (coll. Deut. II. 9.) XIV. 13. (coll. c. XXI. 8. 11.) XIV. 14.
 (coll. XV. 17.) XVIII. 28. (coll. XV. 63.) XIX. 9. XX. 8.
 (coll. XXI. 26.) XXIV. 7. (coll. Deut. I. 35.) 19. 30. (coll. Jud. II. 9.)

MEMBRUM VIII.
 DE LIBRO JUDICUM.

I. INSCRIPTIO. Appellatur ab *objecto* Hebræis
 שופטים & Græcis *Κριται*, *Judices*. c. II. 16.

II. TEMPUS SCRIPTIONIS. Non post sed
ante tempora Davidis. c. I. 21. coll. 2 Sam. V. 7.
 Confer. quoque 1 Sam. XII. 9. 10. 11. 2 Sam. XI.
 21. quæ localibrum Judicum respiciunt. Objicitur
 quidem Jud. XVIII. 30. at migratio terræ commode
 accipitur de illa migratione s. captivitate, qua tem-
 pore Eli, cum capta arca fœderis, multi Israelitæ
 simul abducti sunt. 1 Sam. IV. 10. sqq.

III. AUCTOR. Ille probabiliter est *Samuel*, in
 ipsius enim ætatem conscripti libri epocha exacte
 quadrat, nec ab officio ejus fuit alienum. Conf.
 quoque Act. III. 21. 24. Judæi Talmudistæ huic
 adstipulantur sententiæ.

IV. OBJECTUM. Res *Judicum Israelitarum*, qui
 fuerunt personæ a DEO extraordinarie excitatæ,
 ut populum Israeliticum duris hostium oppressio-
 nibus liberarent, inque pristinam vindicarent li-
 bertatem; unde & *Servatores* vocantur, c. II. 16.
 III. 15. & ceu extraordinarii proreges Dei, sive
 dictatores Ebræorum, principatum judiciorum,
 consiliorum & bellorum tenentes, considerari
 possunt.

possunt. Animadvertimus in illis singularem electionem, singularem rationem res maximas conficiendi levissimis instrumentis, singulares defectus, & singularem successionem.

V. ARGUMENTUM. Oppressi ob peccata populi, post seriam pœnitentiam, per XII. Judices facta liberatio bellumque Benjaminiticum.

VI. SCOPUS. (1) Historiam reipublicæ atque ecclesiæ Judaicæ a Josuæ temporibus usque ad ætatem Eli ac Samuelis continuare. (2) Defectionem Israelitarum, illorumque castigationem & liberationem a Deo factam, posteritati tradere. (3) Epidemicæ corruptionis originem, calamitatum veras causas, efficaciam pœnitentiæ ad restituenda halcyonia, documenta justitiæ & misericordiæ Dei, & necessitatem tum vigilantia in statu rerum meliori, tum quoque magistratus in corrupto hoc generis humani statu exprimere. (4) Naturam, virtutem & efficaciam fidei in apricum ponere.

VII. SINGULARIA. (1) Est speculum misericordiæ justitiæque Dei in cœlo, & corruptionis hominum ac heroici magistratus in terra, officiorumque, quæ imperantibus incumbunt. (2) Instruit nos de necessitate magistratus. Jud. c. XVII. 6. XXI. 5.

VIII. TYPI JESU CHRISTI. Illi sunt *Judices*. c. III. 15.

IX. ALLEGATIO IN NOVO TESTAMENTO. Act. XIII. 20. Ebr. XI. 32.

X. CHRONOLOGIA. Si regimini Josuæ XVII. anni dantur, liber Judicum tradit historiam CCCXL. annorum, qui optime hoc modo computari possunt.

	A. M.
<i>Anarchia</i> post mortem Josifæ, c. I-III. 1-7. X. annorum, qua durante contigerunt ea, quæ post Simfonis historiam, V. ultimis capp. enarrantur. Jud. XX. 28. XVIII. 1.	10 3579
<i>Oppressio</i> Israelitarum sub <i>Cuschane</i> VIII. annorum Jud. III. 8.	8 3587
<i>Quies</i> terræ redditur per <i>Othnielem</i> , durans A. XL. Jud. III. 9-11.	40 3627
<i>Oppressio</i> Israelitarum circa Jordanem <i>Moabitica</i> sub <i>Eglone</i> , durans A. XVIII. v. 12-14.	18 3645
<i>Quies</i> redditur per <i>Ehudem</i> , durans A. LXXX. Jud. III. 30.	80 3725
Per hanc quietem vero intelligitur liberatio a jugo Moabitarum & vicinarum gentium, Amalekitarum, Ammonitarum & Midianitarum. Nam Moabitæ una cum Ammonitis & Amalekitis Judæam invaserant, c. III. 12. 13. & Midianitæ se cum Moabitis contra Judæos conjungere soliti fuerunt; Num. XXII. 4. 7. imo quandoque sub illis comprehenduntur. v. 8. 14. 21. coll. v. 7. Et in hoc tempus incidit <i>oppressio</i> tribuum, præsertim septentrionalium, per <i>Fabinem</i> , regem Cananæum, durans A. XX. Jud. IV. 3. & <i>quies</i> per <i>Barakum</i> & <i>Deboraham</i> reddita, durans A. XL. c. V. 31.	
<i>Midianitæ</i> una cum vicinis gentibus, ad quas quoque <i>Moabitæ</i> pertinuerunt, iterum affligunt Israelitas circa Jordanem & in meridionalibus partibus A. VII. Jud. VI. 1-3. VII. 12.	7 3732
<i>Quies</i> redditur per <i>Gideonem</i> annorum XL. c. VIII. 28.	40 3772
<i>Abimelech</i> dominatum usurpat A. III. c. IX. 22.	3 3775
Judicat <i>Thola</i> A. XXIII. c. X. 2.	23 3798
- - <i>Fairus</i> A. XXII. c. X. 3.	22 3820
Israelitæ a <i>Philistæis</i> & <i>Ammonitis</i> affliguntur. A. XVIII. Jud. X. 8.	18 3838
<i>Jephtha</i> Israelitas liberat, iisque præest A. VI Jud. XII. 7.	6 3844
<i>Ebzani</i> judicis officium obit A. VII. c. XII. 8. 9.	7 3851
<i>Elon</i> succedit <i>Ebzani</i> , judicans Israel A. X. c. XVII. 11.	10 3861
<i>Abdon</i> Israelitis præest A. VIII. c. XII. 12-14.	8 3869
Israelitæ a <i>Philistæis</i> premuntur A. XL. c. XIII. 1.	40 3909

Summa 340

In hos autem XL. annos incidit ætas judicis *Simfonis* per A. XX. Jud. XV. 20. & *Eli* per annos XL. 1 Sam. IV. 18.

Obstare videtur Act. XIII. 20. & Jud. XI. 26. at, quod ad dictum Pauli attinet, ad voces *λαυλα* & *πεντηκοντα*, *υποσυμνη* adhibita, sensus illius est: post hæc, (v. 17. & 19. enarrata) quæ

spatio 450. circiter annorum gesta sunt, dedit Judices, & est Paulo terminus a quo, s. migratio Jacobi in Ægyptum, s. natiuitas Isaaci Et quod dictum Jephthæ Jud. XI. concernit, a tempore quidem, quo Israelitæ terram istam Amorrhæis eripuerunt, Num. XXI. tantum 286. anni elapsi sunt, ast longe frequentissimum est, annorum quorundam non habere rationem, ut humero rotundo efferi queant.

XI. PARTITIO. Continet capp. XXI.

1. Exordium, seu præcognita historiæ Judicum. c. I-III. 1-8.
2. Historiam ipsam, qua vita & res gestæ Judicum explicantur. c. III. 9-XVI.
3. Appendicem, duo gravissimorum populi scelerum sistentem specimina. c. XVII-XXI.

VIII. LOCA NOTATU PRÆCIPUE DIGNA.

C. I. 6. 7. II. 14. 15. 22. V. 31. VI. 14. 15. VII. 2. VIII. 23. IX. 56. X. 13-15. XIII. 22. 23. XVII. 6.

X. LOCA DIFFICILIORA. C. I. 7. 8. (coll.

2 Sam. V. 6.) 15. 16. 20. V. 11. 14. 20. 21. 23. (coll. Matth. V. 44.) 31. (coll. Rom. XII. 20.) VI. 17. (coll. Matth. XII. 39.) VI. 26. (coll. Lev. I. 5.) VIII. 16. IX. 18. (coll. c. VIII. 30. & c. IX.) 22. X. 4. (coll. Num. XXXII. 41.) X. 13. XI. 1. sqq. (coll. Deut. XXIII. 2. 28. 31. 39.) XIII. 18. XV. 4. 5. 11. (coll. Rom. XII. 17.) 15. 19. XVI. 1. (coll. Hebr. XI. 32.) 27-30. XVII. 5. 7. XVIII. 1. 30. XIX. 3. (coll. Deut. XXIV. 3. 4.) 10. & 12. (coll. c. I. 8.) XX. 5. (coll. c. XIX. 22.) 18. (coll. v. 21.) 35. (coll. v. 46.)

MEMBRUM IX.

DE LIBRO RUTH.

I. INSCRIPTIO. *Hebræis*, a præcipuo materie objecto, inscribitur רות & *Græcis* ρουθ, *Ruth*. Denotat vero רות saturatam s. inebriatam, aut ut putat HILLER in *onomastico sacro*, speciosa, spectabilis.

II. AUCTOR. Ille probabiliter idem est, ac libri Judicum, i. e. *Samuel*, adjutus annalibus antecessorum

gressorum temporum. Ante Samuelem hanc historiam non in eam, quam habet, formam redactam esse, patet ex genealogia illa, quæ legitur c. IV. 17-22.

III. ARGUMENTUM. Historica Ruthæ Moabitidis descriptio, ejusque adversæ & secundæ fortunæ.

IV. SCOPUS. (1) Genealogiam regis Davidis, ex cujus sanguine Messias erat oriundus, a Juda ejusque filio Perez, per lineam Ruthæ Boaso nuptæ, proponere, insinuato simul judicio, Messiam non solum Judæorum, sed & reliquarum gentium Servatorem fore. (2) Speculum tum divinæ providentiæ, tum quoque variarum virtutum repræsentare. (3) Deum lætam casibus tristissimis piorum catastrophæ imponere, & parata esse etiam in hoc seculo virtutibus, & præcipue reverentiæ & obedientiæ erga parentes præmia, docere.

V. DETERMINATIO TEMPORIS, QUO HISTORIA CONTIGIT. Illud circiter est *præfectura Ebudis*. Nam Salmon duxit Rachabam, & ex illa Boasum suscepit, Matth. I. 5. qui cum Rutha conjugium inivit; & ab ingressu in Canaan usque ad natum Davidem, pronepotem Boasi, effluxerunt anni 366. 1 Reg. VI. 1. coll. 2 Sam. V. 4. Ex quo conficitur, historiam Ruthæ, uxoris Boasi, incidere in priora, sed tamen jam adulta tempora Judicum. Videtur quidem parum verosimile isti temporis intervallo, tantum IV. respondere generationes, at quid impedit, quo minus Salmonem, ejusque posteros, admodum longævos statuamus? Conf. Ruth. III. 10. 1 Sam. XVII. 12. coll. 2 Paralip. XXIV. 15.

VI. SIN-

VI. SINGULARIA. (1) Legitura a Judæis publice *festo Schebuoth* f. hebdomadam, quod *Pentecosten* dicimus, & quidem, quia messis in hoc libro fit mentio. (2) Genealogiam Davidis, 1 Par. II. 4-12. & Christi, Matth. I. 3-6. Luc. III. 32. 23. egregie confirmat. (3) Legem de jure vindicis illustrat. Ruth IV. 1-10. (4) Docet, qua fide & humanitate peregrinos, pauperes cognatos nostros, & recens veram religionem amplexos excipere debeamus. (5) Ostendit, quomodo conjuges, socrus, nurus, viduæ, patres familias, servi & mercenarii se gerere debeant.

VII. PARTITIO. Continet hic liber

I. Historiam Ruthæ, nuptias secundas cum Boaso celebrantis, quarum

1.) Antecedentia.

(a) Ruthæ digressus e patria. c. I.

(b) Spicilegium in agro Boasi. c. II.

(c) Consilium Naemi in jure leviratus fundamentum. c. III.

(d) Vindicis, jus habentis propinquius, de jure suo cessio. c. IV. 1-12.

2.) Nuptiæ ipsæ. v. 13.

3.) Consequens, prolis ex hoc matrimonio generatio. v. 13-17.

II. Davidis a Perez genealogiam. c. IV. 18-fin.

VIII. LOCA NOTATU PRÆCIPUE DIGNA.

c. I. 16. II. 4. 12. III. 5. 8. 10. 12. 13.

IX. LOCA DIFFICILIORA. C. I. 2. III. 4. 9.

MEMBRUM X.

DE UTROQUE LIBRO SAMUELIS.

I. INSCRIPTIO. Illa est *Hebræis* סְפֵר שְׁמוּאֵל *liber Samuelis*, Hi enim libri apud Hebræos unum tantum

tantum librum constituunt, & prima pars illorum probabiliter a *Samuele* conscripta est, ejusque acta continet. *Græcis* vero inscribitur βασιλειων ἢ βασιλειων α καὶ β *Regnorum* ἢ *Regum I. & II.* Regum enim gesta, præcipue *Saulis & Davidis*, his libris enarrantur, ad quæ recte agnoscenda historia Samuelis præmittitur.

II. AUCTOR. Conscripti censentur hi libri partim a *Samuele*, scil. usque ad c. XXIV. libri I. partim a *Gad & Nathan*, inde a c. XXV. lib. I. ad cap. ult. lib. II. conf. 1 Paral XXIX. 29. Objicitur quidem, quod ad *Samuelem* attinet, 1 Sam. V. 5. at hæc gesta sunt *Samuele* adolescente. Fuit vero *Samuel* ex *posteris Kabath, filii Levi.* 1 Par. VII. (germ.) 22-28. Pf. XCIX. 6. Nomen ejus denotat *exauditum*, sive *adpetitionem datum*, quod ipsi ideo impositum est, quia mater illum a Deo exoravit. 1 Sam. X. 11. 28. In *Nazareatu* educatus est. c. I. 11. Munus Judicis ad finem vitæ obiit. c. VII. 15. Dei insignis fuit *propheta.* c. III. 20. IV. 1. Act. III. 24. Sacrificio & precibus cladem *Philistæorum* a Deo impetravit, quam recuperatio ereptarum urbium secuta est. c. VII. 9-14. A *teneris* usque ad *seram senectutem*, omnibus adversis constantissime superatis, fidelem se Deo & populo præbuit. c. II. 26. III. 20. XII. 3-5. *Saulem & Davidem* unxit. c. X. XVI. Regi *Sauli*, cum res poposcit, ne utiquam pepercit. c. XIII. 13. 14. XV. 13-28. Apud Deum *precibus* plurimum valuit. c. VII. 9. sqq. XII. 18. *Ultimus* *Judæorum* fuit *Judex.* *Judæi* ipsi *gradum excellentiæ a Mose proximum* assignant, conf. Pf. XCIX. 6. imo magistrum omnium prophetarum salutant.

III. SINGULARIA. (1) Præbet speculum virtutum & vitiorum. (2) Siftit nobis felicitatem piorum

rum, & infelicitatem impiorum. (3) Ostendit, pietatem non esse hæreditariam, c. VIII. 5. impiorumque neque potentiam, neque astutiam, adversus pios Deo confisos quicquam valere. (4) Libro Psalmorum instar *facis* sive *clavis* est, & sceneratur lucem *Pf. III.* ex 2 Sam. XV. 14. sqq. *Pf. IV.* ex 1 Sam. XXII. XXIII. XXVI. *Pf. VII.* ex 2 Sam. XVI. 5. 11. *Pf. XXX.* ex 2 Sam. XX. 3. *Pf. XXIV.* ex 2 Sam. VI. 12. sqq. *Pf. XXXII.* & *LI.* ex 2 Sam. XII. *Pf. XXXIV.* ex 1 Sam. XXI. 1c. sqq. *Pf. XXXV.* ex 2 Sam. XV-XVII. *Pf. XLII.* & *XLIII.* ex 2 Sam. XVII. 22. 24. *Pf. LII.* ex 1 Sam. XXII. 9. *Pf. LIV.* ex 1 Sam. XXVI. 1. *Pf. LV.* ex 2 Sam. XVII. 21. 22. *Pf. LVI.* ex 1 Sam. XXI. 11. sqq. *Pf. LVII.* ex 1 Sam. XXII. 1. & XXIV. 4. *Pf. LIX.* ex 1 Sam. XIX. 11. *Pf. LX.* ex 2 Sam. VIII. & X. 13. 18. *Pf. LXIII.* ex 1 Sam. XXIII. 14. & XXIV. *LXVIII.* ex 2 Sam. VI. 3-12. *Pf. LXXXIX.* ex 2 Sam. VII. 12. sqq. *Pf. CXLII.* ex 1 Sam. XXIV. 1. sqq.

IV. TYPI JESU CHRISTI. Samuel & David.

V. VATICINIA DE JESU CHRISTO.

2 Sam. VII. 12-16. (coll. Act. III. 30. 31. Ebr. I. 5.)
c. XXIII. 1.

VI. ALLEGATIO IN N. T. 1 Sam. VIII. 5. & X. 21. Act. XIII. 21. c. XIII. 14. XV. 23. XVI. 12. 13. Act. XIII. 22. c. XV. 22. Matth. IX. 13. & XII. 7. c. XXI. 6. Matth. XII. 3. 4. Luc. VI. 3. 4. Marc. II. 25. 26. 2 Sam. VII. 2. Act. VII. 46. v. 14. Hebr. I. 5. c. XII. 24. Matth. I. 6.

MEMBRUM XI.

DE LIBRO PRIORE SAMUELIS.

I. ARGUMENTUM. Continuatur historia ecclesie ac reipublice Judaice, ab Eli præfectura ad

ad mortem usque Saulis ignominiosam, s. describuntur *res gestæ duorum priorum regum*, prosperæ & adversæ.

II. SCOPVS. Ille est, (1) ut continuaretur historia ecclesiæ ac reipublicæ Judaicæ, mutatique regiminis, ejusque causæ memoria proflaret. (2) Ut secuturis deinceps regibus exemplum regni infausti, æque ac felicissimi in 2 Sam. proponeretur. (3) Ut nobis ecclesia Dei, in mediis reipublicæ turbis ac mutationibus servata & ad posteros transmissa, ostenderetur. (4) Ut insignia Dei misericordiæ ac judiciorum exempla, singulariumque virorum Dei posteris traderentur.

III. CHRONOLOGIA. Complectitur hic liber, historia Eli ad librum Judicum relata, historiam XL. annorum, ab anno 2909. usque ad 2949. Nam regiminis Samuelis & Saulis fuere anni XL. Act XIII. 20. 21. Forsitan Samuel solus XXX. annos Israelitis præfuit, & Saulus X. Samuele adhuc populum judicante annos VIII. 1 Sam. VII. 2. 15. XIII. 1. sqq.

IV. PARTITIO. Tres continet partes.

I. Res sub Eli gestas. c. I-IV.

II. --- sub Samuele. V-XII.

III. --- sub Saule, & quidem

1.) ante reprobationem, ubi electio, inauguratio, & victoria adversus

(a) Ammonitas, c. XI. & Philistæos, c. XIII. XIV.

(b) Amalekitas. c. XV.

2.) Post reprobationem, c. XVI-fin. ubi

(a) Successoris Davidis varia persecutio, &

(b) Saulis novissima, & funestus interitus.

V. LOCA NOTATU PRÆCIPUE DIGNA.

C. I. 13. 15. 17. 28. II. 1. 2. 6-9. 12. 30. III. 13. 18. VIII. 3. 5. 7. X. 6. 27. XII. 3. 4. 20-25. XIV. 6. XV. 11. 22. 24. 29. XVI. 7. XVII. 45. 47. XIX. 24. XXII. 2. 17. XXIV. 18. XXVIII. 16.

VI. LO-

VI. LOCA DIFFICILIORA. C. I. (coll. 1 Par. VII. germ. 23. 36.) 9. 11. II. 23. 24. 25. 28. 29. 30. (coll. III. 13.) III. 7. 14. VI. 13. 14. 19. VII. 2. (coll. 1 Par. XIV. germ.) 13. (coll. c. XIII.) 15. (coll. VIII. 1.) 17. VIII. 2. (coll. 1 Par. VII. germ. 28.) 11-17. 18. (coll. IX. 16.) IX. 16. (coll. Hof. XIII. 11.) X. 2. 10. (coll. 1 Sam. III. 1.) 12. (coll. XIX. 24.) XI. 1. (coll. XII. 12.) XIII. 13. (coll. Gen. XLIX. 10.) XIV. 35. (coll. XIII. 9.) 50. (coll. 1 Par. IX. germ. 33. XV. 6. 11. (coll. 29.) 24. 28. (coll. XIII. 14.) 3. (coll. XIX. 24.) XVI. 10. 12. & XVII. 18. (coll. 1 Par. II. 13. sqq.) XVI. 14. 21. & 22. (coll. XVII. 58.) XVII. 7. 54. (coll. XXI. 9.) XVIII. 19. (coll. 2 Sam. XXI. 8.) XX. 5. XXI. 1. (coll. Marc. II. 26.) 2. 5. 7. 13. (coll. 1 Petr. II. 1.) XXIII. 15. XXIV. 6. XXV. 25. 29. XXVI. 19. XXVII. 10. XXVIII. 14. 15. XXXI. 4. (coll. 2 Sam. I. 10.)

MEMBRUM XII.

DE LIBRO POSTERIORE
SAMUELIS.

I. ARGUMENTUM. Res a rege Davide gesta.

II. SCOPUS. Ille est, (1) tradere accuratam vitæ Davidis historiam, Messiaë typi plane illustris. (2) Confirmare veracitatem Dei in suis liberandis. (3) Ostendere, piorum felicitatem in hac vita temperari multis calamitatibus. (4) Omnibus subsequenter regibus Davidem ceu exemplum proponere, cujus vestigia laudabilia sequerentur, culpanda autem evitarent. (5) Enarrare translationem regni a tribu Benjamin ad tribum Judæ, adeoque complementum vaticinii Gen. XLIX. 10. Deuter. XXXIII. 7. Conf. quoque, quæ de scopo libri prioris dicta sunt.

III. CHRONOLOGIA. Comprehendit historiam XL. annorum, & VI. mensium, ab anno 2949. ad annum 2989. 2 Sam. V. 4. 5. coll. XXIII. 1.

IV. PAR-

IV. PARTITIO. Continet hic liber tres partes,

I. Prospera regni auspicia & felices successus, ubi

1.) Regni occupatio & confirmatio. c. I-V.

2.) Confirmati administratio, tum

(a) in ecclesiasticis, c. VI, VII. quam

(b) in politicis. c. VIII-X.

II. Peccata Davidis & supplicia, ubi

1.) Peccatum commissum & exprobratum. c. XI, XII.

2.) Pœnæ.

(a) privatæ, c. XII-XIV.

(b) publicæ. c. XV-XVIII.

III. Ultima Davidis post restitutionem, ubi

1.) Restitutio ipsa. c. XIX, XX.

2.) Res post restitutionem gestæ

(a) laudabiles, c. XXI-XXIII.

(b) vituperabiles. c. XXIV.

V. LOCA NOTATA PRÆCIPVE DIGNA.

C. VI. 22. VII. 18. 27-29. XII. 12. 13. 22. 23. XIV. 17. 20. XV. 25. 26. XVII. 14. XXI. 2. XXII. 2. 3. 7. 24. 30. 31. XXIII. 1-3. XXIV. 10. 14.

VI. LOCA DIFFICILIORA. C. I. 18. 21. II. 10. (coll.

v. 11.) III. 3. (coll. 1 Par. III. 1.) 8. 18. V. 8. 27. (coll. 1 Par. XV. *germ.* 16.) VI. 3. (coll. Num. IV. 15.) VI. 4. (coll. Jud. XIX. 16. & 1 Par. XIV. 6.) 6. (coll. 1 Par. XIV. *germ.* 9.) 6. 7. 14. 17. (coll. 2 Par. I. 3.) 20. 23. (coll. c. XXI. 8.) VII. 19. VIII. 2. (coll. 1 Par. XIX. *germ.* 4.) 18. XII. 30. 31. XIV. 26. 27. (coll. XVIII. 18.) XV. 7. XVI. 10. XVII. 25. (coll. 1 Par. II. 17.) XVIII. 6. XIX. 23. (coll. 1 Reg. II. 9.) XX. 1. (coll. v. 21.) 18. XXI. 6. (coll. Deut. XXIV. 16.) X. (coll. Deut. XXI. 23.) XXII. 5. 6. 21. 25-27. XXIII. 6. 8. (coll. 1 Par. XII. *germ.* 11.) 11. (coll. 1 Par. XII. *germ.* 13.) XXIV. 1. 9. (coll. 1 Par. XXII. *germ.* 5.) 13. (coll. 1 Par. XXII. 12.) 14. (coll. Hebr. X. 31.) 15. (coll. v. 16.) 24. (coll. 1 Par. XXII. *germ.* 25.)

MEMBRUM XIII.

DE VTROQUE LIBRO REGVM.

I. INSCRIPTIO. *Hebræis* inscribitur ab argumento מְלָכִים *Reges*, apud *Hebræos* enim hi libri unum tantum constituunt volumen, ab aliis postea in duos libros divisum, ut in æquales partes illud secarent, & expeditiorem ejus in evolvendo & citando redderent usum; & *Græcis* βασιλειων γ και δ, quia regnum *Israeliticum* subRehabeamo in duo regna est divisum, vel etiam βασιλειων γ και δ *Regnorum* vel *Regum* liber III. & IV. quia libros *Samuelis* habent pro I. & II. libro *Regum*, quæ enumeratio librorum *Regum* hodiernis *Judæorum* magistris non omnino improbat.

II. AUCTOR. Ille forsitan est *Jeremias*, aut *Viri Hiskia*, (qui fuere probabiliter *prophetae*, aut *viri sapientes* *Hiskia* συγγραφοι, & huic reformatori peculiariter addicti,) aut potius *Efra*, adjutus *ephemeridibus*, s. *diariis publicis*, a *prophetis*, qui sub singulis regibus vixerunt, conscriptis. Conf. 1 Paral. XXX. germ. 29. 2 Paral. IX. 29. XII. 15. XIII. 22. XX. 24. XXVI. 22. XXXIX. 18. 19. ATHANASIUS *jun. in Synopsi S. Scripturae* T. II. Opp. p. m. 241. putat, hunc librum a pluribus auctoribus successive conscriptum esse, quia partim ante captivitatem *Babylonicam*, 1 Reg. VIII. 8. IX. 21. partim post illam, 2 Reg. XXV. scriptus esse videtur.

III. ARGUMENTVM. Exponuntur res a regibus, quibus populus *Dei* paruit, per IV. secula & dimidium gestæ, tum ante, tum imprimis post distra-

distractionem regni, usque ad devastationem Israelis a Salmanassare Assyrio, & usque ad captivitatem Judæ a Nebucadnezare Babylonio factam.

IV. SCOPVS. (1) Historiam ecclesiæ & reipublicæ sub regibus ac prophetis continuare. (2) Genealogiam Christi sistere integram. (3) Speculum divinæ providentiæ, divinorumque operum, ratione gratiæ ac justitiæ, quin & crucis piorum, novis & peculiaribus exemplis exhibere. (4) Docere *rerum humanarum inconstantiam & vicissitudinem*. (5) Ostendere, quam necessarium sit, ut *unusquisque* & præcipue *princeps* veræ religioni & haud fucatæ pietati deditus sit. (6) Oppositionem *regni Dei & Satanae*, artes item, praxin solitam, & mutationes in quibusvis regnis frequentes, omnibus ob oculos ponere.

V. SINGVLARIA. (1) Docet, quod principes raro absque vitii labe regnent. (2) Ostendit, quam severe Deus eorum irascatur peccatis, qui rerum potiuntur, suæque impietatis exempla civibus præbent. (3) Sinit nobis horribiles pœnas, quæ peccata publice grassantia sequuntur. (4) Tradit introductionem in libros propheticos, qui absque hoc libro non recte intelligi possunt.

VI. TYPI JESV CHRISTI. *Salomo, Elia, Elisa, & templum Salomonæum.*

VII. ALLEGATIO IN N. T. *1 Reg. VI. 1. Act. VII. 47. c. X. 1. sqq. Matth. XII. 42. Luc. XI. 31. c. XVI. 31. Apoc. II. 20. c. XVII. 1. & XVIII. 41. sqq. Jac. V. 17. 18. c. XVII. 1. 9. Luc. IV. 25. 26. c. XIX. 10. 14. 18. Rom. XI. 2-4. 2 Reg. V. 14. Luc. IV. 27.*

VIII. CHRONOLOGIA. Tradit historiam 457. annorum, ab A. M. 2989. usque ad annum 3446. nam.

A.M.	REGES JVDÆ.	REGES ISRAEL.	PROPHE.
3989	<i>Salomo</i> patri <i>Davidi</i> succedit. 1 Reg. II.		
3029	<i>Salomo</i> obit anno regni sui XL. 1 Reg. XI. 42. 2 Par. IX. 30. succedente <i>Rehabeamo</i> filio, 1 Reg. XI. 43. 2 Paral. IX. 31. qui duro responso X. tribus a se abalienat; & regnum avitum in partes scindit, quarum altera, tribum <i>Juda</i> & <i>Benjamin</i> complexa, regnum <i>Juda</i> , altera vero, X. reliquas tribus comprehendens, regnum <i>Israelis</i> , vel <i>Samarixæ</i> constituit. 1 Reg. XII.		
3029	<i>Rehabeam</i> <i>Salomoni</i> succedens regnat A. XVII. 1 Reg. XIV. 21.	<i>Jerobeam</i> I. regnatusque in A. XXII. 1 R. XIV. 20.	PROPHE. TÆ.
3046	<i>Abiah</i> anno <i>Jerob.</i> XVIII. ineunte, patri <i>Rehabeamo</i> succedit, regnans A. III. 1 Reg. XV. 1. 2.		
3049	exeunte, <i>Aja</i> anno <i>Jerob.</i> XX. completo, patri <i>Abiæ</i> succedit, & regnat A. XLI. 1 Reg. XV. 8-10.		
3050	- - - - -	<i>Nadab</i> anno II. <i>Afæ</i> patri <i>Jerobeamo</i> succedit, & regnat in annum secundum. 1 Reg. XV. 25.	
3051	- - - - -	<i>Baefæ</i> interfector <i>Nadabi</i> succedit anno tertio <i>Afæ</i> , & regnat usque ad A. XXIV. 1 Reg. XV. 27. 28.	
3074	finiente - - -	<i>Ela</i> patri <i>Baefæ</i> defuncto, anno regni ejus XXIV. ineunte, sive XXIII. completo, & anno XXVI. <i>Afæ</i> , succedit. 1 Reg. XVI. 8.	
3075	- - - - -	Anno II. <i>Elæ</i> , & XXVII. <i>Afæ</i> , <i>Ela</i> interficitur a <i>Simri</i> , 1 Reg. XVI. 8-10. 15. qui <i>Tirzæ</i> VII. diebus regnum occupavit, at <i>Omin</i> sive <i>Aowin</i> a populo in Regem constituto, & <i>Tirzam</i> obsidente, se cum domo regia combussit. 1 Reg. XVI. 15-18. Hoc tempore schisma in populo <i>Israelitico</i> or-	

A.M.	REGES JVDÆ.	REGES ISRAEL.	PROPHE- TÆ.
		tum est, nam pars una <i>Thibnin</i> regem constituit, pars altera vero, eaque potior & firmior, <i>Amrin</i> secuta est, 1 Reg. XVI. 21. 22. quod schisma duravit usque in annum v. Amri.	
3079	- - - - -	Amri, mortuo æmulo <i>Thibni</i> , solus regnare incipit A. XXXI. Aſæ. 1 Reg. XVI. 23.	
3080	- - - - -	Cum <i>Tirzæ</i> A. VI. regnasset, <i>regni sedem</i> inde transtulit <i>Samariam</i> . 1 Reg. XVI. 23. 24.	
3086	exeunte - - -	<i>Achab</i> impius patri Amri defuncto succedit anno XXXVIII. Aſæ, & regnat usque in A. XXII. 1 Reg. XVI. 28. 29.	
3090	exeunte, <i>Josaphat</i> Aſæ succedit anno Achabi IV. deficiente, & regnat A. XXV. 1 Reg. XXII. 41. 42. 2 Par. XX. 31.		<i>Elia</i> propheta floret.
3107	<i>Joram</i> prorex a patre <i>Josaphato</i> constituitur, & propterea <i>Joram</i> Israeliticus, qui A. XVIII. <i>Josaphati</i> rex constitutus, anno secundo <i>Jorami</i> Judaici regnare cœpisse dicitur. 2 Reg. I. 17.	<i>Achasia</i> a patre Achabo prorex constituitur A. XVII. <i>Josaphati</i> . 1 Reg. XXII. 52.	
3108	- - - - -	<i>Achab</i> anno altero, postquam <i>Achasia</i> in regni consortium adoptasset, in prælio occiditur, 1 Reg. XXII. 2 Par. XVIII. quo defuncto, <i>Achasia</i> solus regno præest, sed nono mense post moritur, postquam biennium partim cum patre, partim solus regnasset. 1 Reg. XXII. 52. <i>Achasia</i> vero defuncto,	

A.M.	REGES JVDÆ.	REGES ISRAEL.	PROPHE: TÆ.
3113	ineunte. Josaphat Joramum, cui antea vicariam potestatem dederat, regni consortem constituit A. V. Jorami Israelitici, 2 Reg. VIII. 16. & ab hoc auspicio numerandi sunt illi VIII. anni, quos regnavit. 2 Reg. VIII. 17. 2 Par. XXI. 5. 20.	frater ipsius, Joram anno Josaphati XVIII. deficiente, succedit, regnans A. XII. 2 Reg. III. 1. c. I. 17.	<i>Elias</i> in cœlum transferatur, Elifœo successore relicto. 2 Reg. II.
3115	finiente. Josaphato mortuo anno regni sui XXV. 1 Reg. XXII. 51. 2 Par. XXI. 1. Jorami vero in regiminis consortium adsciti anno III. <i>Joram solus</i> A. V. regnat.		
3119	<i>Ahasia</i> a Joramio patre <i>prorex</i> constituitur anno Jorami Israelitici XI. 2 Reg. IX. 29.		
3120	deficiente. <i>Ahasia</i> , Joramio defuncto anno XII. Jorami Israelitici, succedit, 2 Reg. VIII. 25. & regnat unicum annum, 2 Reg. VIII. 26. 2 Par. XXII. 2. occisus a <i>Jehu</i> . 2 Par. XXII. 2. 6-9. 2 Reg. IX.		
3121			
3122	incipiente. <i>Athalia</i> filia Achabi, <i>Ahasiæ</i> mater, 2 Reg. VIII. 26. 2 Par. XXII. 2. regnum occupat, perduto semine regio, excepto tantum Joas, infante anniculo, <i>Ahasiæ</i> filio, & regnat A. VI. 2 Reg. IX. 1-3.	<i>Jehu</i> regnat A. XXVIII. 2 Reg. IX. X. 36.	
3128	incipiente. <i>Joas</i> septennis rex ungitur a summo		

A.M.	REGES JVDÆ.	REGES ISRAEL.	PROPHE- TÆ.
	pontifice Jehojada, & regnat ad initium usque A. XL. 2. Reg. XI. 4. 2r. XII. 1. 2. 2 Par. XXIII. 1. 21. XXIV. 1.		
3150	exeunte - - -	Joahas patri Jehu anno XXIII. Joasi Regis Judæ succedit, & regnat A. XVII. 2 Reg. XIII. 1.	
3165	- - -	Joas filius Joahasi a patre regni consors constituitur A. XXXVII. desinente Joasi regis Judæ, & regnat A. XVI. 2 Reg. XIII. 10.	
3167	Joas a servis suis occiditur anno regni sui in eunte XL. 2 Par. XXIV. 1. 25. 2 Reg. XII. 1. 20. 21. & Amazias filius secundo anno Joasi Israëlitici desinente, succedit, regnatque A. XXIX. 2 Reg. XIV. 1. 2.	Joahas, filius Jehu moritur anno regni sui XVII. & anno tertio post adscitum in imperii consortium filium Joasum. 2 Reg. XIII. 1. 9.	
3170	- - -	Jerobeamus II. a patre Joaso ad regni societatem adsumitur. 2 Reg. XV. 1.	Jonas vaticinatur. 2 Reg. XIV. 25.
3182	- - -	Jerobeamus II. defuncto patri succedit anno XV. Amaziæ regis Judæ, postquam jam A. XII. regni paterni consors fuit, & solus regnat A. XXI. 2 Reg. XIV. 23.	
3196	exeunte. Amaziæ occiso 2 Reg. XIV. 19. 2 Par. XXV. 27. 28. succedit Ufias five Azarias filius, anno regni Jerobeami XXVII. (ex quo regni paterni particeps factus erat,) & regnat A. LII. 2 Reg. XV. 1. 2.		

A.M.	REGES JVDÆ.	REGES ISRAEL.	PROPHE- TÆ.
3223	- - - - -	Jerobeam II. moritur.	Hoc tem- pore flo- rent Hofe- as, Hof.
3230	Anno Azariæ s. Amaziæ XXXIV. Olympias I, ce- lebrata est, mense Julio circa solstitium æstivum, & propterea annus pri- mus Olympiadicus, quo- rum quatuor unam constituunt Olympia- dem, incidit in annum mundi 3230.		I. I. Joel, Amos. Am. I. I. VII. 10. II.
3234	- - - - -	Zacharias filius Jerobea- mi regnat VI. menses, 2 Reg. XV. 7. post inter- regnum XI. annorum & VI. mensium, nam Za- chariæ menses sex anno XXXVIII. & Schallumi interfectoris Zachariæ mensis unicus anno XXXIX. Azariæ sive Ufiæ respondere debet.	
3235	incipiente	Schallum, Jabesi filius, Za- chariæ percussor, anno XXXIX. Azariæ, regnum mense unico, 2 Reg. XV. 13. & post turbas XI. fere mensium, desinente A. XXXIX. Ufiæ, Menachem ope Phulis Assyrii regis, regnum occupat, & re- gnat A. X. 2 Reg. XV. 17.	Floretpro- pheta Je- saias. c. I. I.
3246	- - - - -	Pekachja succedit Mena- chemo patri anno Ufiæ L. & regnat A. II. 2 Reg. XV. 23.	
3248	- - - - -	Pekach filius Remaljæ, in- teremto Pekachja, re- gnum occupat, regnans A. XX. 2 Reg. XV. 25. 27.	
3249	Ufiæ succedit filius Jo- tham, anno secundo Pe- kachi, regnans annos XVI. 2 Reg. XV. 32. 33. 2 Par. XXVI. 23. XXXVII. 1. 8.		

A.M.	REGES JVDÆ.	REGES ISRAEL.	PROPHE- TÆ.
3253	Anno V. Jothami, qui est A. M. 3253. Roma con- dita est, & ab hoc anno, & quidem a die XXI. Aprilis incipit <i>era urbis</i> <i>f. Roma condita.</i>		<i>Michapro-</i> <i>pheticum</i> <i>munus</i> <i>obit. c.I.I.</i>
3265	<i>Achas</i> patri Jothamo suc- cedit anno XVII. defi- nente regis Israelita- rum Pekachi, regnans A. XVI. 2 Reg. XVI. 1. 2. 2 Par. XXVIII. 1.	Pekach cum Rezino, rege Syriæ, regno Judæ in- gentem infert cladem. 2 Reg. XVI. 5. 6. 2 Par. XXVIII. 5-8. Et paulo post <i>Tiglathpile-</i> <i>fer</i> rex Assyriæ magnam Israelitarum partem, speciatim incolas <i>Gilea-</i> <i>dis, Galilææ & Naphtha-</i> <i>litas</i> in Assyriam capti- vos abducit. 2 Reg. XV. 29.	<i>συχρο-</i> <i>vos</i> <i>Esaiaë</i> & <i>Hosæ.</i> <i>Obadia</i> va- ticipatur.
3268	- - - - -	<i>Hosea</i> filius Elæ, interfe- cto Pekacho, regnum in- vadit, anno XX. ex quo Jotham in regno Judæ regnare cæpit, 2 Reg. XV. 30. sed ob turbas intervenientes, novem demum annis post, fir- mam ejus possessionem adeptus est.	
3277	- - - - -	<i>Hosæ</i> tandem regno po- titur deficiente A. XII. Achasi, regnans A. IX. 2 Reg. XVII. 1.	
3280	<i>Ezechias</i> five <i>Hiskias</i> , a patre Achaso ultimo re- gni ejus anno in domi- natus consortium adsu- mitur, inde a III. anno deficiente <i>Hosæ</i> regnat A. XXIX. 2 Reg. XVIII. 1. 2.		

A.M.	REGES JVDÆ.	REGES ISRAEL.	PROPHE- TÆ.
3286	- - - -	<i>Salmanasser</i> rex Assyriae anno VI. Hiskia captam Samariam, regni Israelitici metropoli, reliquos captivos abducit. 2 Reg. XVII. 3-6. 18. XVIII. 9-11. & toti regno Israelitico finem imponit.	Vaticinatur <i>Nahum</i> .
3309	Defuncto Ezechia Manasses filius succedit, regnans A. LV. 2 Reg. XXI. 1. 2. 2 Paral. XXXIII. 1.		
3364	Manassi succedit filius <i>Amen</i> , regnans A. II. 2 Reg. XXI. 18. 19. 2 Paral. XXXIII. 20. 21.		<i>Habacuc</i> vaticinatur.
3366	Amoni occiso <i>Josias</i> filius succedit, regnans A. XXXI. 2 Reg. XII. 1. 2. 2 Paral. XXXIII. 20. 21.		
3397	Josia occiso succedit plebis voluntate <i>Joachaz</i> , qui etiam <i>Jehoachasus</i> & <i>Schallum</i> audit, filius Josia, cui vero, postquam III. saltem mensibus regnasset, a Nechone		Anno XIII. Josia <i>Jeremias</i> ad propheticum munus a Deo vocatur. c. I. 1. 2. & Josia tempore extremo vaticinatur <i>Zephania</i> .
3398	<i>Eljakimus</i> frater natus major surrogatur, & mutato nomine <i>Jojakimus</i> s. <i>Jehojakimus</i> nuncupatur, regnans ultra A. X. 2 Reg. XXIII. 30-34. 2 Paral. XXXVI. 1-5.		
3400	Currente anno tertio, <i>Jojakimus</i> a rege Nebucadnezare deficit, Nebucadnezar autem Hierosolymam obsidione cingit. Dan. I. 1.		
3401	Nebucadnezar anno IV. <i>Jojakimi</i> , Hierosolymam expugnata, <i>Jojakimum</i> catenis vincit, ut eum abducatur in Babyloniam, 2 Paral. XXXVI. 6. spondens autem, magnum se soluturum tributum, in Judæa relinquitur, ubi servus ejus annos III. permansit, promissum pendens tributum. 2 Reg. XXIV. 1.		
	Quamvis vero Nebucadnezar <i>Jojakimum</i> in Judæa reliquerit, attamen magnam populi partem, magnamque vasorum sacrorum copiam in Babyloniam deportavit, 2 Paral. XXXVI. 7. Dan. I. 1. sqq. & ab hac prima deportatione incipit captivitas Babylonica, quæ duravit A. LXX. Jer. XXV.		
3408	Postquam <i>Jojakimus</i> denuo contra Nebucadnezarem rebellavit, occiditur anno regni sui XI. 2 Reg. XXIII. 36. XXIV. 1. 2. 2 Paral. XXXVI. 5. <i>Jojakimo</i> succedit <i>Jechonias</i> , qui & <i>Jojachinus</i> & <i>Chonias</i> dicitur, postquam autem mensis III. & dies X. regnavit, 2 Reg. XXIV. 8. 2 Paral. XXXVI. 9. a Nebucadnezare cum multis aliis in Babyloniam deportatur, 2 Reg. XXIV. 8. 2 Paral. XXXVI. 10. Jer. XXIV. 1. XXVII. 20. XXIX. 2. Ezech.		<i>Daniel</i> prophetico officio fungitur.

A.M.	XVII. 12. quæ deportatio ex majoribus secunda est. Jechoniæ vero loco patruum ejus Mattaniam, Josiæ filium, nomine ejus in Zedekiam mutato, regem substituit Nebucadnezar, regnantem A. XI. 2 Reg. XXIV. 17. 18. 2 Paralip. XXXVI. 10. 11. Jer. LII. 1.	PROPHE- TÆ.
3419	Hierosolyma obfessa a Chaldæis occupatur, & Zedekias vinculus numellis chalybeis, cum populo Judaico in Babyloniam abducitur, 2 Reg. XXV. 1-7. quæ tertia est inter majores deportatio.	Ezechiel officio prophetico fungitur.
3444	Translati Jojachini anno XXXVII. <i>Ezra</i> <i>Evilmerodach</i> , patri Nebucadnezari succedens, Jechoniam, e carcere protractum, evehit. 2 Reg. XXV. 27-29. Jer. LII. 31-33.	
3446	Jechonia vita functus videtur. 2 Reg. XXV. 30. Jer. LII. 34. Si quis autem nosse cupiat <i>annum currentem urbis</i> <i>f. Roma condita, respondentem anno mundi</i> , detrahat 3252. de A. M. qui hunc numerum excedit, nam Roma est condita A. M. 3253. & proinde, quod anis 3252. subtractis remanet, est <i>annus currens urbis condita.</i>	

MEMBRUM XIV.

DE LIBRO PRIORE REGVM.

I. ARGVMENTVM. Describuntur res gestæ Salomonis & quatuor regum Judæ, ac VII. regum Israelis, quæque sub illis ecclesiæ ac reipublicæ fuerit facies. Inferuntur acta prophetarum, imprimis *Elie*.

II. SCOPVS. Ille est præter supra memorata; (1) in historia Salomonis uberius enarrata proponere exemplum regni felicissimi æque ac infelicitis, additis utriusque causis; (2) sistere regnum Christi adumbratum sub typo Salomonis & templi ab eo, concurrentibus etiam Tyriis, exstructi; (3) novis exemplis ostendere, ethnicos nullo V. T. tempore

pore fuisse neglectos, huc pertinent Hiramus, regina Sabæ, alique plurimi, 1 Reg. IV. 34. atrium templi, navigatio Ophir; (4) veracitatem divinam cum in promissionibus tum minis illustrare, exemplo Salomonis, Jerobeami, Baësæ, Affæ, Achasi &c. (5) personam, officium & res gestas Eliæ tempore perditissimo consignare.

III. PARTITIO. Capp. XXII. describitur

I. Historia regni indivisi sub Salomone. c. I-XI.

II. Historia regni divisi sub quatuor regibus Judæ.

(1) Rehabeamo. c. XII-XIV.

(2) Abia. c. XV. 1-8.

(3) Assa. c. XV. 9-24.

(4) Josaphato. v. 24 - fin. Inserta est suo loco historia septem regum Israelis.

IV. LOCA NOTATA PRÆCIPVE DIGNA.

C. II. 19. c. III. 7-14. VIII. 27-29. 35-39. XI. 1. 4. 5. XII. 8. XIII. 8. XIV. 16. XV. 4. 5. XVI. 34. XVII. 14. XVIII. 3. 12. 13. 17. 21. XIX. 10-12. 18. XXI. 19. 25. 27-29. XXII. 8. 13. 19-23.

V. LOCA DIFFICILIORA. C. I. 21. c. II. 5. 9.

(coll. 1 Par. XXX. germ. 1.) 23. 27. (coll. c. IV. 4.) III. 12. IV. 26. (coll. 2 Par. IX. 25.) V. 4. (coll. XI. 25.) 13. & 15. (coll. IX. 22.) 16. (coll. 2 Par. II. 2. 18.) VI. 2. (coll. 2 Par. III. 3. 4.) 7. 23. 31. 32. (coll. Deut. XX. 19.) VII. 14. (coll. 2 Par. II. 13.) 15. (coll. 2 Par. III. 15.) 19. (coll. 2 Reg. XXV. 17. 20. (coll. 2 Par. IV. 13.) 21. 26. (coll. 2 Par. IV. 5. 29. VIII. 4. (coll. 2 Par. I. 3.) 9. (coll. Hebr. IX. 4.) 13. (coll. 27.) IX. 23. (coll. 2 Par. VIII. 10.) 28. (coll. 2 Par. VIII. 18.) X. 1. (coll. Matth. XII. 42.) XI. 3. 13. XII. 4. 16. 17. XIII. 11. (coll. 2 Reg. XXIII. 18.) 33. XV. 2. (coll. 2 Sam. XIV. 27.) 5. 14. (coll. 2 Par. XIV. 5.) XVII. 4. 6. XVIII. 40. XIX. 11. (coll. Jer. XXIII. 23. 24.) 15. 16. (coll. 2 Reg. VIII. 7. sqq. IX. 1. sqq.) 17. 18. XX. 11. 35-40. XXI. 3. 13. 24. (coll. XXII. 38.) XXII. 15. 23. 44. (coll. 2 Par. XVII. 6.) 48. (coll. 2 Reg. III. 9.) 50. (coll. 2 Par. XX. 35. 36.)

MEMBRVM XV.

DE LIBRO POSTERIORE REGVM.

I. ARGVMENTVM. Traduntur res gestæ XII. regum Israelis & XVI. regum Judæ, inde a Josaphato, usque ad exaltatum in captivitate Babylonica Jechoniam, duorumque prophetarum, *Elie & Elise*.

II. SCOPVS. Ille est, (1) docere *μακροθυμιαν* divinam incredibilem, qua contempta sequuntur pœnæ gravissimæ; (2) gradatim procedere justitiam divinam, vindicantem peccata in populum suum, imo in ipsos quoque Messiaë majores, ex quibus post D. annos oriundus erat; (3) veracitatem divinam, cum in promissionibus, tum minis, novis inculcare exemplis Ahasiaë, Jorami, Jehu, Joasi, Hiskiaë, Jechoniaë, Zedekiaë, aliorumque; conf. c. XXIII. 15. 16. cum 1 Reg. XIII. 2. (4) demonstrare vanitatem fœderum & fiduciaë in brachio hominum, animadversionem Dei in fœdifragos, & instabilitatem regnorum humanorum, cum pietas & justitia exulant.

III. PARTITIO. Continet Capp. XXV.

I. Historiam utriusque *regni* simul adhuc *stantis*, usque ad finem Israelitici. c. I-XVII.

II. Historiam regni Judæ seorsim, ubi

1.) Regnum *labefactatum*. c. XVII - XXIII.

1 - 30.

2.) Regnum *cadens*. c. XXIII. 31-XXV.

IV. LOCA NOTATV PRÆCIPVE DIGNA.

C. II. 11-23. 24. V. 11-13. 17-19. VI. 16-18. X. 16. XII. 2. 15. XIV. 6. XVII. 13-15. 33. XIX. 14-19. XX. 1-3. 13. 17. XXII. 19. 20. XXIII. 3.

V. LOCA

V. LOCA DIFFICILIORA. C. I. 10. II. 9. 12. 24. III. 27. IV. 29. 40. V. 18. 26. VI. 23. (coll. 24.) 33. VIII. 10. 18. (coll. 26.) IX. 27. (coll. 2 Par. XXII. 9.) XII. 21. (coll. 2 Par. XXIV. 26.) XIII. 14. 17. (coll. v. 19.) XIV. 3. (coll. 2 Par. XXV. 14.) 7. (coll. 2 Par. XXV. 12.) 8. 21. (coll. 2 Par. XXVI. 1.) 26. XV. 3. (coll. 2 Par. XXVI. 16.) 7. (coll. 2 Par. XXVI. 23.) XVI. 2. (coll. 2 Par. XXVIII. 3.) 5. (coll. 2 Par. XXVIII. 5.) XVII. 4. (coll. v. 5.) 18. (coll. 2 Par. XXVI. 1.) 43. XVIII. 4. (coll. Num. XXI. 8.) 5. XX. 10. 12. (coll. Es. XXXIX. 1.) XXII. 20. (coll. XXIII. 19. & 2 Par. XXXV. 23. 24.) XXIII. 3. (coll. 2 Par. XXXIV. 31.) 9. (coll. v. 20.) 13. 22. (coll. 2 Par. XXX. 26.) 29. (coll. XXIV. 7.) 30. (coll. Jer. XXII. 11.) XXIV. 6. (coll. Jer. XXXVI. 30.) 8. (coll. 2 Par. XXXVI. 9.) 15. (coll. Jer. XXIV. 1.) XXV. 5. (Jer. XXXVII. 5.) 3 & 4. (coll. Jer. LII. 12.) 17. (coll. Jer. LII. 22.) 27. (coll. Jer. LII. 31.)

MEMBRUM XVI.

DE VTROQUE LIBRO
CHRONICORVM.

I. INSCRIPTIO. Illa est *Hebræis* דְּבָרֵי הַיָּמִים *verba s. facta dierum*, h. e. *annales*; *Græcis* vero Παραλειπομενα, i. e. *prætermissa*, quia his libris quædam inserta sunt, quæ in antecedentibus libris omissa sunt, conf. e. g. in libro priori c. XI. (germ.) 13. 14. XII. 6. XIII. XIV. 1-4. XV. 12. 17. XVI. 4. sqq. 16. sqq. XVII. XXIII. - XXX. &c. Idem de libro posteriori sentiendum. Consentientem habemus HIERONYMUM Opp. T. III. p. 7. Vocantur etiam ταχρονοια, quia continent *Chronicon* totius historię *sacræ & civilis*, s. enarrant, quo fere *χρονω* quidque gestum est.

II. AVCTOR. Ille est secundum Hebræorum sententiam, non certam quidem, ast quoque non temere reprobendam, *Esra*. Nam genealogia ducum Israeliticorum extenditur ultra reditum
ex

ex captivitate Babylonica. 1 Par. III. Auctor meminit captivitatis ceu jam pridem toleratæ, c. X. (germ. .) in epilogo libri posterioris describitur reditus ex captivitate in terram sanctam; catalogi in IX. prioribus capitibus 1 Par. similes sunt illis, qui Efræ II. & VIII. habentur, & verba ultima Paralip. sunt eadem, quæ posita sunt sub initium libri Efræ. 2 Paral. XXXVI. 23. coll. Efræ I. 2. 2. Viguit vero apud antiquos mos, repetitis sub initium novi libri clausulæ prioris verbis libros continuandi; & stilus in his libris adhibitus proxime accedit ad stylum Efræ. Adjutus autem est auctor annalium monumentis, nam Hebræis in more positum fuit, acta publica in tabulas referre, ut monumentum exstaret, ad quod recurrerent, ubi præteritarum rerum memoria opus esset, quæ monumenta רברי הימים appellata sunt, Efr. IV. 15. VI. 1. & hæc monumenta sunt illa, quæ in libris Regum sub titulo Chronicorum regum Israelis & Judæ, 1 Reg. XVI. 20. 27. sqq. & in libris Chronicorum sub titulo librorum Regum allegantur, 2 Par. XXIV. 27. & propterea diversa a libris Regum & Chronicorum, quos non habemus.

Genealogia Zorobabelis, 1 Par. III. 21. quæ ad Christum fere extenditur, post Efram a quodam, fortitan a summo sacerdote adjecta est, ut integra generationum & Davidicæ profapiæ series suo loco exhiberetur; occurrit quoque phrasis illo tempore, quo hic liber scriptus est, longe antiquior, 1 Par. IV. 43. 2 Par. V. 9. VIII. 8. IX. 19. XXI. 10. ast illa ex indicatis monumentis retenta est.

III. ARGUMENTVM. Tradit primo genealogias a prima hominum rerumque origine ad proxima a Messia tempora, deinde præmissis de Saule nonnullis, res sacras pariter ac civiles Davidis, regnique

regniq̄ue Judæ historiam ad restitutam in Zorobabele dignitatis regiæ velut umbram recenset, suis quæquetemporibus distinguit, nec infrequenter regum Israelis mentionem injicit, maxime ubi ad illustrandam regni Judæ historiam facit.

IV. SCOPVS. Ille est; genealogiam majorum in captivitate hinc inde oblitteratam, facileque interituram, usque ad proxima a Messia tempora pertexere, & politiæ ac ecclesiæ judaicæ fata, in gratiam populi reducis, brevissimis tradere, & rempublicam ecclesiamque Judæorum, omnemque illorum cultum externum ad pristinum statum, divinis legibus præscriptum, revocare.

V. SINGVLARIA. (1) Est hic liber epitome V. T. (2) Tradit genealogiam ab Adamo usque ad Zorobabelem & ultra. (3) Genealogia Christi, Matth. I. ex hoc libro desumpta est.

VI. ALLEGATIO IN N. T. *1 Par. II. 4. sqq. Matth. I. XXV. 10. Luc. I. 5. 2 Par. IX. 1. Matth. XII. 42. Luc. XI. 31. c. XXIV. 21. 22. Matth. XXIII. 35. Luc. XI. 51.*

VII. PARTITIO.

I. LIBRI PRIORIS. Continentur capp. XXX.

A) Rerum Judaicarum origines genealogicæ. c. I-IX.

B) Historia regni Davidis, ubi

1.) Antecedentia. c. X-XIII.

2.) Administratio ipsa,

(a) circa sacra. c. XIV-XVII.

(b) circa hostes. c. XIX-XXI.

(c) circa domus Dei præparationem. c. XXII-XXVII.

(d) circa copias & officiales regis c. XXVIII.

(e) circa comitia ultima. c. XXIX-XXX.

II. LIBRI POSTERIORIS. Describitur capp. XXXVI. historia regni

A) flo-

- A) florentis, s. indivisi sub Salomone, c. I-IX.
 B) stantis, præcipue Judaici, c. X-XXII.
 C) cadentis, c. XXIII-XXXVI.

VI. LOCA NOTATAV PRÆCIPVE DIGNA.

IN LIBRO PRIORI. C. XXII. (*germ.*) 1. XXIII. 8-13. XXIX. 9.
 XXX. 9-20.

IN LIBRO POSTERIORI. C. II. 11. XII. 5-8. 12. XIV. 11.
 XV. 2. 7. 12. 13. 15. XVI. 7-9. 12. XIX. 2. 3. 6. 7. 9. XX. 6. 12.
 15. 17. 18. 20-22. XXII. 3. XXIV. 17. 19. 21. XXV. 9. 16.
 XXVI. 5. 18. XXVIII. 9. 10. XXXI. 21. XXXII. 7. 8. 25. 26. 31.
 XXXIII. 9. 12. 13. XXXVI. 13. 15. 16.

VII. LOCA DIFFICILIORA.

IN LIBRO PRIORI. C. I. 36. (coll. Gen. XXXVI. 12.) II. 7.
 (coll. Jos. VII. 1.) 9. (coll. Matth. I. *græc.* 3.) III. 5. (coll.
 2 Sam. XI. 3.) 17. (coll. Jer. XXII. 30.) IV. 1. (coll. Gen. XLVI.
 12.) 10. 22. 24. (coll. Gen. XLVI. 10.) VI. *germ.* 11. & 12.
 (coll. Gen. XLVI. 16.) VII. 34. 35. (coll. v. 26. 27.) VIII. 6.
 (coll. VIII. 1. Num. XXVI. 38. Gen. XLVI. 21.) 15. (coll. Num.
 XXVI. 33.) IX. 29 & 30. (coll. 1 Sam. X. 26.) 33. & 34. (coll.
 2 Sam. II. 8.) XI. 10. (coll. 1 Sam. XXXI. 10.) 12. 14. (coll.
 1 Sam. XXVIII. 6.) XIV. 10. 14. (coll. 1 Sam. XXX. 9.) 32.
 (coll. Deut. XVII. 9.) XVIII. 9. (coll. 2 Par. XXXVI.) XIX. 12.
 (coll. 2 Sam. VIII. 13. Pf. LX. 2.) XX. 18. (coll. 2 Sam. X. 18.)
 XXI. 2. XXII. 17. (coll. Ezech. XVIII. 20.) 18. (coll. 2 Sam.
 XXIV. 18.) XXIV. 2. (coll. v. 24. & 26.) XIX. 9. (coll. Ef. LXV. 1.)

IN LIBRO POSTERIORI. C. III. 1. (coll. Pf. LXVII. 6. 8.)
 V. 11. (coll. c. VII. c.) VI. 1. (coll. 1 Tim. VI. 16.) 41. (coll.
 Pf. CXXXII. 9.) VII. 1. VIII. 2. (coll. 1 Reg. IX. 11.) 17. & 18.
 IX. *hebr.* 21. XII. 14. (coll. v. 6. 7.) XII. 2. (coll. XV. 16.) 7.
 (coll. c. XI. & XII. 33.) XIV. 1. (coll. 1 Reg. XV. 32.) XV. 19.
 (coll. XIV. 9. XVIII. 21.) XX. 8. & 9. (coll. 1 Reg. VIII. 33.)
 XXII. 1. (coll. XXI. 17.) 2. (coll. XXI. 20. XXIV. 17.) XXVI.
 23. (coll. 2 Reg. XV. 7.) XXVIII. 5. (coll. 2 Reg. XVI. 5.) 27.
 (coll. 2 Reg. XVI. 20.) XXXIV. 28. (coll. 2 Par. XXXV. 22.)
 25. XXXV. 3. 10. & 11. (coll. Lev. 1.) XXXVI. 22.

MEMBRVM XVII.

DE LIBRO ESRÆ.

I. INSCRIPTIO. A scriptore & objecto palma-
 rio Hebraeis עֶזְרָא Esra s. Ezra, & Græcis Εὐδῆας
 inscribitur.

E

II. Au=

II. AUCTOR. Scripsit hunc librum *Esræ*. c. VII. 27. 28. VIII. 15. IX. 5. 11. 12. *Nomen* ejus denotat auxiliū, quod ipsi non sine omine impositum est, siquidem ecclesiæ & reipublicæ Judaicæ, extremum afflictæ, auxiliū tulit. Fuit *sacerdos* primarii ordinis, c. VII. 11. X. 5. insignisque *legis doctor*, c. VII. 6. ac *filius Serajæ*, summi pontificis, c. VII. 1-5. a Nebucadnezare occisi, 2 Reg. XXV. 18. 21 non autem immediatus, sed mediatus, nam alias anno Artaxerxis longimani XX. annos CXLII. habuisset, si modo illo tempore, quo Seraja occisus, unum annum natus fuisset. Quod autem Hebræis in more positum sit, nepotes & pronepotes filios dicere, ex sacris abunde liquet pandectis. Regis Persiæ, *Artaxerxis longimani*, indultu, annoque VII. regni ejus, Judæam adiit, ut statum ecclesiæ & politiæ plenius constitueret, *Esr.* VII. 8-27. vid. *EVSEBII Chron.* p. m. 132. & propterea sine dubio diversus ab illo est, cujus fit mentio *Neh.* XII. 1. nam ille ante annos LXX. cum Serubabele & Josua sub Cyro in Judæam venit. JOSEPHVS quidem *Antiqv. Jud.* L. XI. c. V. refert, Xerxem *Efram* & *Nehemiam* in Judæam misisse, quod autem hoc a vero prorsus alienum sit, liquet ex *Nehem.* XII. 6. Nam *Nehemias* *Artachstam* anno imperii XXXII. adiit, *Xerxes* autem annos tantum XXI. sceptrum tenuit. Hebræis *alter Moses* appellatur, & merita ejus circa asserendum canonem sacrum esse insignia, nullus est, qui ignoret.

III. ARGUMENTVM. Describit historiam liberationis e captivitate populi Judaici, in cujus mentione posterior substiterat liber *Chronicorum*. Sive: enarrat magnæ Judæorum partis reductionem priorem in Judæam, templi structuram *Cyro* imperante susceptam, sub *Abasvero* & *Artachstata* impeditam, & *Dario* sceptrum tenente
 conti-

continuata & absolutam, cultus divini ad legis a Deo latæ præscriptum renovationem, adventum Esræ cum magna Judæorum multitudine, curamque illius in populo Judaico a consuetudine uxorum alienigenarum repurgando, & liberis ex his susceptis extrudendis.

Sunt, qui per *Darium*, cujus imperii anno secundo structura templi repetita est, *Darium Nothum* intelligunt, quod autem *Darius Hystaspis* filius intelligendus sit, gravissimæ postulant rationes; nam

1.) Esra c. IV. 5-7. coll. v. 24. intermissionem structuræ templi describit *generaliter*, tum ratione termini *a quo*, tum ratione termini *ad quem*, s. *quando* inceperit, & *quamdiu* duraverit, nempe usque ad regnum Darii, & *specialiter*, s. a quibus regibus structura templi sit impedita, nempe ab Ahasvero & Arthasasta. Si autem Esra per *Darium*, cujus meminit, *Darium Nothum* intelligeret, quem inter & *Cyrum* plures reges intercessere, qui adeo itidem templi restorationem sufflaminassent, sine dubio vel verbo illos indicaturus fuisset.

2.) Talis *Darius* intelligendus est, cujus tempore Haggæus & Zacharias officio prophetico functi sunt. Esr. IV. 25. V. 1. Hagg. I. 1. II. 1. Zach. I. 1. 7. Quod autem Haggæus & Zacharias non tempore Darii Nothi, sed Darii Hystaspis vaticinati sint, liquet ex Zach. I. 12. nam Zacharias refert, se in anno secundo Darii audivisse angelum Domini dicentem: *Domine exercituum, usque quo non misereberis Hierosolymorum & civitatum Judæ, in quas indignatus es jam septuaginta annis*, scilicet a desolatione templi & urbis Hierosolymæ. Ab hac desolatione vero, quæ regnante Zedekia accidit, usque ad annum Darii Hystaspis secundum effluerunt anni LXX. Vid. p. 59. 70.

- 3.) Si Darius Nothus intelligendus esset, *Jesus*, s. Josua sacerdotio solus functus fuisset annos CXLIV. (siquidem durante captivitate Babylo-nica summo sacerdotio præfuit. Nehem. XII. 1. Efr. III. 2. XII. 1.) reliqui V. autem, quorum mentio Neh. XII. 10. 11. injicitur, tantum annos CIII. Imo quibusdam Judæorum du-centi fere, vel plures etiam anni tribuendi fo-rent, siquidem Hagg. II. 4. dicitur, quod qui-dam Judæi, ex captivitate Babylo-nica reduces, splendorem & majestatem templi pristini, a Sa-lomone exstructi, in juventute sua viderint.
- 4.) JOSEPHVS *Antiqv. Jud.* L. XI. c. IV. EVSE-BIVS in *Chron.* p. 129. & HIERONYMVS te-stantur, templum Hierosolymitanum, regnante *Dario, Hystaspis filio*, exstructum esse.

IV. SCOPVS. Ille est: (1) historiæ sacræ telam per-texere, sive: reædificationem templi, renovationem cultus Dei ad legis ejus præscriptum & restitutio-nem ordinis legitimi in republica sacra & civili describere; (2) docere, quod series ac distinctio familiarum & tribuum mediis in captivitatis affli-ctionibus ac turbis sine confusione servata fuerit; (3) ostendere, quomodo ecclesia, in qua & ex qua exoriturus erat Messias, in integrum ex ruinis sit restituta ac reformata; (4) promissionum Dei de reducendis Israelitis, post LXX. annos regnante Cyro Persa, *Jes. XLV. 1. sqq. Jer. XXV. & XXIX.* complementum tradere; (5) Dei justitiam, mise-ricordiam, potentiam, veracitatem, sapientiam, providentiam, gubernationem rerum hujus mundi ac curam ecclesiæ omnibus ob oculos ponere, & (6) ut exstaret monumentum, in quo descripti legi possent reditus tribus Judæ ex captivitate Baby-lo-nica, & instauratio reipublicæ, cultusque divini in templo a Deo præscripti, quod respectu poste-ritatis perquam necessarium fuit. V.

V. SINGVLARIA. (1) Nexu arctissimo cum prophetis Haggæi & Zachariæ monumentis cohæret, illaque illustrat. Hagg. I. 12. Zach. III. 4. coll. Esr. V. 1. sqq. (2) Docet, quod Deus modum finemque calamitatibus piorum ponat, & exilium illorum finiat.

VI. CHRONOLOGIA. Continet historiam LXXIX. annorum, ab anno 3470. ad annum 3549. inclusive.

A.M.	Olym- piad.	A.U. C.	
3444	54.3	192	<i>Evilmerodachus</i> Nebucadnezari succedit, & regnat A. II.
3446	55.1	194	<i>Neriglissor</i> incipit, & regnat A. IV.
3450	56.1	198	<i>Laborosardochus</i> succedit, & regnat menses IX.
3451	- 2	199	<i>Nabonidus</i> , <i>Danieli Belsazar</i> , incipit & regnat A. XVII. JOSEPHVS L. I. contra <i>Apionem</i> : <i>Berosus</i> , inquit, in tertio libro dicit, <i>Nabuchodonosor</i> de vita migravit, cum regnasset A. XLIII. Hujus regni dominus effectus filius ejus <i>Evilmerodachus</i> , propter iniquitates & libidines passus insidias a marito sororis suæ <i>Neriglissoroore</i> peremptus est, cum duobus regnasset annis. Quo defuncto sumens regnum, qui ei fecit insidias, <i>Neriglissoroore</i> annis regnavit IV. Hujus filius, <i>Laborosardochus</i> , principatum quidem tenuit, puer existens mensibus novem, insidias vero passus, eo quod nimis appareret, malorum esse morum, ab amicis extinctus est. Hoc itaque perempto convenientes hi, qui fecerant insidias, communi suffragio regnum tradidere <i>Nabido</i> cuidam. - - Cujus regni A. XVII. egressus <i>Cyrus</i> ex <i>Perside</i> , impetum fecit in <i>Babyloniam</i> urbem.

Et hi numeri *Berosi* exacte conveniunt cum *Canone PTOLOMÆI*, qui exstat in *HENR. DODWELLI* appendice ad *dissert. Cyprianas*, subjunctas *Opp. Cypriani* edit. per *Joh. Cestriensem* *Brema* 1690. p. m. 24. Omittit quidem *Laborosardochum*, id vero pro more facit, nam qui annum integrum non expleverunt, eorum nunquam meminit, ita tamen, ut numero universo nihil decedat, siquidem eorum tempora aliorum principum diuturniorum temporibus annumerat.

70 Pars I. Sectio I. Cap. I. Membr. XVII.

A.M.	Olym- piad.	A.U. C.	
3467	60.2	215	Cyrus Babylonem obsidione cingit.
3469	- - 4	217	<i>Belshazar</i> de obsidione securus epulatur, eadem- que nocte interficitur, Babylone capta, re- gnoque Babylónico ad victores Medos & Persas translato, ita ut Darius Medus Babyloniis, & Cyrus Persis imperaret. Dan. V. 30. 31. IX. 1. X. 1. Initium libri Efræ.
3470	61.1	218	Cyrus Cambyse patre in Persia, & Cyaxare so- cero & avunculo, (qui Danieli Darius Medus est,) in Media vita functis, Orientis monar- chia potitur, quem primum illius annum ex ipsis Persarum & Medorum tabulariis sacra dicit scriptura. Vid. VSSERII <i>Annal.</i> p. 82. Eodem anno captivitati Babylonicæ finem im- ponit, celebri illo edicto, quo Judæis rever- tendi in patriam potestatem fecit, exactis jam LXX. annis servitutis, a Jeremia præfinitis. 2 Par. XXXVI. 21-23. Efr. I. 1. sqq. vid. III. CAM. de SYLVESTRIS <i>Chronol.</i> p. 59. sqq. & 52. sqq.
3471	- - 2	219	Judæi fundamenta templi ponunt. Efr. II.
3473	- - 4	221	Samaritani per Cyri ministros largitione corrup- tos templi structuram impediunt. Efr. IV.
3476	62.3	224	Cyrus obit, eique succedit filius <i>Cambyses</i> , Efræ <i>Achabscrverus</i> s. <i>Abasverus</i> dictus, c. IV. 6. & regnat A. VII. menses V. vid. HERODOTI <i>Histor.</i> L. I. p. m. 188.
3483	64.2	231	Cambyses moritur, & in ejus locum a Magis surrogatur <i>Pseudo-Smerdis</i> , rex VII. mensium, Efræ Artachsfachta, c. IV. 7. qui Samaritanis, Judæorum hostibus favet, & Hierosolymanam ædificari vetat, unde non ab urbis modo, sed etiam a templi ædificatione cessarunt. vid. c. IV. 1-24. HERODOTI <i>Histor.</i> L. III. p. m. 188. 189.
3484	- - 3	232	Pseudo-Smerdi succedit <i>Darius Hystaspis</i> filius, Judæorum patronus insignis, regnans annos XXXVI. vid. HERODOTI <i>Histor.</i> L. VII. p. 383. & <i>Canonem</i> PTOLOMÆI.
3485	- - 4	233	Darii anno secundo <i>Haggæus</i> & <i>Zacharias</i> , remo- tis tandem impedimentis omnibus exstructio- nem templi urgent. Efr. V. 1. Hagg. I. 1. Zach. I. 1.
3486	65.1	234	Darius edicto egregio templi structuram pro- moveret. Efr. VI.
3490	66.1	238	Darii anno sexto jam exeunte, structura templi absolvitur. c. VI. 15. 18.
3520	73.3	268	Dario defuncto succedit <i>Xerxes</i> , regnans A. XXI. vid. DIODORI SICVLI <i>Bibl. Histor.</i> L. XI. p. m. 52. 53. & <i>Canonem</i> PTOLOMÆI. Xerxem

A.M.	Olympiad.	A.U. C.	
3541	78. 4	289	Xerxem sequitur <i>Artaxerxes longimanus</i> , Efræ Artachastha, c. VII. & regnat annos XL. vid. DIODORI <i>Siculi</i> B. H. L. XII. p. m. 115. & EVSEBII <i>Chronicon</i> p. m. 31.
3548	80. 3	296	<i>Efræ</i> ab Artaxerxe anno imperii ejus VII. cum auctoritate in Judæam dimittitur ad reipublicæ constitutionem, & ecclesiæ reformationem. Efr. VII. 6. 7. 9.
3549	4	267	<i>Efræ</i> ecclesiam Judaicam reformat. c. IX. X. Finis libri Efræ.
3581	88. 4	329	<i>Xerxes</i> & <i>Sogdianus</i> regnant A. I. mens. VII. vid. DIODORI <i>Siculi</i> B. H. L. XII. p. m. 115. & 120.
3582	89. 1	330	<i>Darius Nothus</i> succedit & regnat annos XIX. vid. DIODORI <i>Siculi</i> B. H. L. XII. p. 120. EVSEBII <i>Chronic.</i> p. 31. & 133. & <i>Canonem PTOLOMÆI</i> .
3601	93. 4	349	<i>Artaxerxes Mnemon</i> incipit & regnat annos XLIII. vid. DIODORI <i>Siculi</i> B. H. L. XV. p. 400.
3644	104. 3	392	<i>Ochus</i> succedit & regnat A. XXIII. vid. DIODORI <i>Siculi</i> B. H. L. XV. p. 400.
3667	110. 2	415	<i>Artes</i> succedit & regnat usque in annum tertium. vid. DIODORI <i>Siculi</i> B. H. L. XVI. p. 490.
3670	114. 1	418	<i>Darius Codomannus</i> succedit & regnat A. VI. nam ab Alexandro M. tertium profligatus, & a Bessio occisus est anno tertio Olympiadis 112. teste DIODORO <i>Siculo</i> B. H. L. XVII. p. 546. vid. quoque EVSEBII <i>Chronicon</i> p. 33. & 137.
3682	114. 1	430	<i>Alexander M.</i> moritur, postquam regnavit A. VI. & ab hoc anno usque ad primum Græcorum s. Seleucidarum sunt exclusive A. XI. vid. Illustr. CAM. de SYLVESTRIS Chron. p. m. 63.
3694	117. 1	442	<i>Annus primus Seleucidarum s. Græcorum.</i> Vid. P. I. Sect. II. Membr. VI. p. 172.

VII. PARTITIO. Describitur

I. Adscensus prior ad templi exstructionem sub Cyro, ducibus Zorobabele & Josua. c. I-VI.
Ubi

- 1.) Cyri edictum, & revertendi facta potestas. c. I.
- 2.) Adscendentium catalogus. c. II.
- 3.) Templi instauratio
(a) suscepta, c. III. E 4 (b)

(b) impedita a Samaritanis, c. IV.

(c) continuata Dei mandato per prophetas indicato, c. V.

(d) promota & absoluta Darii Hyftaspidis indulgentia. c. VI. Hæc VI. capita continent res ante tempora Esræ gestas.

II. Adscensus *posterior*, ad reipublicæ, ac præcipue ecclesiæ reformationem sub Artaxerxe longimano, duce Esra, c. VII-fin. Ubi

1.) Dimissio cum regio diplomate. c. VII.

2.) Comitatus & adventus. c. VIII.

3.) Populi reformatio

(a) cœpta per Esræ pœnitentiam, c. IX.

(b) pœræcta. c. X.

VIII. LOCA NOTATV PRÆCIPVE DIGNA.

C. VII. 23. 27. VIII. 21-23. IX. 2. 6. 8. 13. 14.

IX. LOCA DIFFICILIORA. C. I. 2. 5. (coll. I Par.

IX. 3.) 9. (coll. v. 1.) II. 5. (coll. Neh. VII. 10.) 64. (subducto calculo multa millia desunt.) III. 11. (coll. v. 12.) IV. 2 & 10, (coll. 2 Reg. XVII. 3. s̄qq.) V. 1. (coll. Zach. I. 1.) VI. 3. (coll. I Reg. VI. 2.) 22. (coll. c. IX. 9.) VII. 6. (coll. c. V. 4.) IX. 2. 8. 12.

MEMBRVM XVIII.

DE LIBRO NEHEMIÆ.

I. INSCRIPTIO. *A scriptore & objecto palmario Hebræis appellatur נְחֵמְיָהּ Nechemja, Græcis Νεεμίας, & Latinis Nehemias; vulgato vero secundus liber Esræ, ob continuationem historiæ ab Esra cœptæ, & quia non pauca, quæ simul ab Esra & Nehemia gesta sunt, complectitur, sive, quia priscis Ebræis uterque in unum compactus est volumen.*

II. Av-

II. AUCTOR. Ille est *Nehemias*, c. I. 1. sqq. Nomen ejus a נחמ *derivatum consolatorem* sive *consolationem Domini* denotat, & officio hujus viri convenientissimum fuit. Syr. XLIX. 15. Patrem habuit Chachaliam, c. I. 1. & propterea diversus a Nehemia filio Asbuki. c. III. 16. Regis Persiæ fuit *pincerna*, c. I. 11, & ad tempus *præfectus regius* in Judæa, c. V. 14. & ab hoc officio chaldaice *Hattirschata* sive *Tirschata* dictus est, nam hoc nomen significat *principem, ducem, legatum, judicem regium*. Efr. II. 63. Sincera fuit *pietate, summa prudentia, admiranda magnanimitate, & incredibili zelo* pro gloria Dei. Anno XIII. post *Efram* in Judæam venit, Efr. VII. 8. Nehem. II. 1. Ab illo, qui Serubabeli & Josuæ Efr. II. 2. Neh. VII. 7. jungitur, distingvendus videtur.

III. ARGUMENTVM. Describit *instaurationem urbis Hierosolymæ, populi reducis correctionem, collapsi cultus divini reformationem, & fœderis Deum inter & populum renovationem, sive: res ministerio Nehemiæ gestas.*

IV. SCOPVS. (1) *Historiam restaurati status ecclesiastici ac politici ab Esra cœptam per texere; sive pleniorum urbis instaurationem, ac politiæ constitutionem, fœderisque Deum inter & populum renovationem tradere.* (2) *Ecclesiæ, vix dum licet e tanta castigatione liberatæ, partim vexationes externas, partim corruptelas internas, simulque harum reformationem duplicem per Nehemiam describere, quarum altera uti rigidior, ita quoque necessaria erat* (3) *Novo exemplo demonstrare, Deum preces piorum exaudire, illisque auxilium ferre.*

V. SINGVLARIA. (1) *Cum priori libro Esræ typum ecclesiæ omnis fere ævi, præsertim circa &*

post reformationem Lutheri sistit. (2) Docet, quod & quomodo Satan incrementis ecclesie re-
moram injiciat, quanto opus sit consilio, cautione,
virtute & precibus, ut idoneis remediis hostibus
ecclesie resistatur, & quam optatos, si fortes simus
& constantes, successus Deus largiatur. (3) Sistit
nobis exempla pietatis in Deum & patriam, obe-
dientie erga magistratum, & principatus laudabi-
liter gesti. (4) Multis V. & N. T. in topographia
Hierosolymitana lucem affundit.

VI. CHRONOLOGIA. Res gestæ, quæ in hoc
libro describuntur, XIII. vel XIV. annorum spa-
tium non excedunt; nam

A.M.	Nehemias ab Artaxerxe anno regni ejus XX. in Judæam mit- titur ad instaurationem urbis, nec non politie & ecclesie pleniorem. c. I. 1-11. c. II. 1-6.
3560	Nehemias, cum A. XII. Judææ præfuisset ab anno XX. usque ad XXXII. Artaxerxis redit ad regem Persie. c. V. 14. XIII. 6. Ast emendaturus varias corruptelas, quæ per ab- sentiam ejus irreperant, cum nova potestate Hierosoly- mam revertitur. c. XIII. 7. sqq.,
3572	
3574	

VII. PARTITIO. Enarratur capp. XIII.

I. Urbis Hierosolymæ instauration, & quidem

- 1.) promota per Nehemie deprecationem,
ejusque ablegationem ex aula Persica in Ju-
dæam, c. I. II.
- 2.) descripta, c. II. III.
- 3.) continuata armata manu, c. IV. V.
- 4.) consummata inter hostium falsorumque fra-
trum insidias. c. VI.

II. Constitutio plenior politie & præcipue eccle-
sie, ubi

- 1.) reformatio prior ante reditum in aulam
Persicam, c. VII-XIII. 1-5.
- 2.) reformatio posterior post reditum Nehe-
mie ex aula persica. c. XIII. 6-fin.

VIII. Loca

VIII. LOCA NOTATV PRÆCIPVE DIGNA.

C. I. 8-11. II. 4. 12. V. 7. 9. 14. 19. VI. 9. 12. 13. 16. VIII. 10. IX. 29. 30. 33.

IX. LOCA DIFFICILIORA. C. I. 3. II. 3. (coll. Efr.

VI. 15.) VII. 3. (coll. v. 4.) 7. (coll. Efr. II. 2.) VIII. 8. 18. (coll. Efr. III. 4. & Lev. XXIII. 35.) X. 32. & 33. (coll. Exod. XXX. 13.) XI. 4-8. (coll. 1 Par. IX. 3-6.)

MEMBRVM XIX.

DE LIBRO ESTHERÆ.

I. INSCRIPTIO. Ab *Objecto*, sive *principe* ejus *persona* Hebræis אֶסְתֵּר *Esther*, & Græcis Εσθηρ inscribitur. Fuit vero Esther filia Abichailis de tribu Benjamin, c. II. 15. & Mardochei aut neptis ex fratre, aut filia adoptiva. c. II. 7. Vocatur etiam הַדַּסָּה *Haddassa*, h. e. *myktina*, sicut אֶסְתֵּר *perfico* idiomate *stellam*, s. *fortunam*, *felicitatem* significat; forma fuit *præstantissima*, & singulari providentia Dei regio toro thronoque admota est a rege Ahasvero. Quod hicce Ahasverus rex fuerit Persarum, tantum non omnes concedunt, conf. Esth. I. 1-3. quisnam autem ex his regibus intelligendus sit, variæ prostant sententiæ. Quibusdam est Darius Hytaspis filius, aliis Xerxes, & reliquis Artaxerxes Longimanus. Quo minus autem duabus prioribus sententiis adstipulemur, variæ nos cogunt rationes. Nam *Darius Hytaspis* teste HERODOTO L. III. p. m. 198. in matrimonio habuit duas filias Cyri, Artossam & Artystonam, & Parmyn, filiam Smerdis, filii Cyri, filiamque Otanis Persæ. Quum autem Esther fuerit filia Judæi cujusdam, Esth. II. 7. & HERODOTVS p. m. 383. referat, usque ad mortem Darii omnem potentiam apud Atossam stetisse, abunde exinde constat,

stat, Artystonam non esse Estheram, neque Atos-
sam Vasthi, siquidem Vasthi tertio anno imperii
Ahasveri a toro & conspectu illius remota est.
Esth. I. & II. Et quod ad *Xerxem* attinet, HE-
RODOTVS de Amestri, uxore Xerxis talia enar-
rat, quæ in Estheram minime quadrant, nam tra-
dit, quod fuerit Otanis Persæ filia, L. VII. p. 406.
quod XIV. illustrium Persarum liberos defoderit,
ad referendam pro se gratiam Deo, qui sub terra
esse creditur, L. VII. p. 419. quod fuerit mulier
longe crudelissima, ceu liquet ex laniena Ma-
sisthis, L. IX. p. 552. sqq. & quod Xerxes ex Ame-
stri filium susceperit, qui anno VII. imperii Xerxis
ad matrimonium ineundum & liberos procreandos
idoneus fuerit. L. IX. conf. Esth. I. 3. II. 1. 8. 12.
16. Quæ cum ita sint, nulli dubitamus, illis acce-
dere, qui statuunt, Ahasverum esse *Artaxerxem*
Longimanum, nam huic sententiæ nihil obstat, s.
nullis premitur difficultatibus. JOSEPHO *Antiqu.*
Jud. L. XI. c. VI. Ahasverus est Artaxerxes, qui
Xerxi successit, s. Artaxerxes Longimanus. *Se-*
ptuaginta interpretes, & auctor *additamentorum*
libri Estheræ pro Ahasvero habent Artaxerxem.
vid. Esth. I. 1. Addit. c. I. 1. Et Artaxerxis Longi-
mani favor in Judæos exstitit maximus, qui sine
dubio ex conjugio cum Esthæra inito originem
duxit. Differunt quidem nomina Artachasta s.
Artaxerxes, & Ahasverus, at nihil obstat, quo
minus statuamus, quod duo illi fuerint nomina,
nam inter omnes constat, Persarum reges fuisse
πολυωνυμης, sive: aliter vocatus est extra Persiam in
Judæa, aliter in Persia.

II. AUCTOR. Ille est probabiliter *Mardocheus*.
c. IX. 20. 23.

III. ARGUMENTVM. Describuntur insidiæ
Judæis ab Hamane structæ, exaltatio Estheræ &
Mardo-

Mardochæi, Hamanis interitus, Judæorum a præsentissimo internecionis periculo liberatio, & Mardochæi administratio.

IV. SCOPVS. Ille est: (1) exhibere illustre providentiæ divinæ speculum in veræ ecclesiæ, etiam extra Judæam, inter medios infensissimos hostes conservatione, ejusque insigni amplificatione. c. VIII. 17. (2) Exemplo peculiari Mardochæi Estheræ, Hamanis, totiusque populi judaici docere, quam sit Deo tum universa ecclesia, tum singula quoque ejus membra curæ cordique, quamque ipsi facile detrudere potentes, humilesque evehere, & omnes diaboli hostiumque ecclesiæ suæ licet potentissimorum machinationes evertere, idque modo prorsus mirabili. (3) Judæos in Judæa degentes consolari & excitare, ut confidenter & alacriter pergerent in restauranda politia.

V. SINGVLARIA. (1) Sistit nobis diabolum sævi draconis figura indutum cum semine mulieris decertantem, & superatum, triumphantem sub infirmitate potentiam Dei, & mirabiles Dei circa ecclesiam suam vias, quam premi quidem, sed non opprimi patitur. (2) Docet, quod Deus benignum se exhibeat pœnitentibus & orantibus, quod spes Deo confisa nunquam confusa recedat, quam sævum malum ambitio sit, quam lubrica & anceps aulæ fortuna, quæ incumbant regibus, scæminis & aulicis, & quod ea, quæ impii contra pios machinantur, in illorum tandem, maximo cum eorum malo recidant capita, ut omnes Deum justissimum mortalium judicem, defensoremque piorum justissimum agnoscant. (3) Legitur a Judæis publice festo Purim die 14. & 15. Febr. in memoriam interitus Hamanis & conservationis Judæorum. Esth. IX. 17. sqq. 2 Macc. XV. 37.

VI. CHRO-

VI. CHRONOLOGIA. Absolvitur spatio X. annorum, nam Ahasverus *tertio* anno regiminis sui celebrat convivium, c. I. 3. *septimo* anno Esther in regium adsciscitur torum, c. II. 16. & *duodecimo* anno de Hamane contra Judæos conspirante supplicium sumitur. c. III. 7. VII. 10.

VII. ALLEGATIO IN N. T. Non incommode Paulus ad hunc librum respicit Ebr. XI. 34.

VIII. PARTITIO. Describitur capp. X.

I. Estheræ ob populum Dei evectio. c. I. II.

II. Populi propter Estheram liberatio, ubi

1.) Antecedentia

(a) Hamanis consilium. c. III.

(b) Mardochæi luctus. c. IV.

2.) Concomitantia.

(a) Convivium Estheræ prius. c. V.

(b) Mardochæi primi honores. c. VI.

(c) Convivium alterum & Hamanis suspendium. c. VII.

(d) Mardochæi honores aucti. c. VIII.

(e) Hostium Judæorum internecio. c. IX. 1-16.

3.) Consequentia.

(a) Judæorum Purim. c. IX. 17. sqq.

(b) Gaudium. c. X.

IX. LOCA NOTATV PRÆCIPVE DIGNA.
C. I. 8. 22. II. 20. III. 15. IV. 13. 14. 16. V. 13. IX. 22.

X. LOCA DIFFICILIORA. C. VII. 8. IX. 7. sqq.
(coll. v. 13. sqq.) 29.

CAPVT II.
DE
LIBRIS POETICIS.

MEMBRVM I.
DE
LIBRO JOBI.

I. INSCRIPTIO. *Hebræis* appellatur אִיּוֹב *Ijobus*, & *Græcis* Ἰωβ, *Jobus*; siquidem in exponendis ipsius fati & sermonibus versatur; & forte quoque ab illo conscriptus est.

II. AUCTOR. Probabiliter historia primo, prouti gesta fuit, una cum colloquiis inter Jobum & amicos habitis, quæ nemini quam Jobo notiora fuerunt, ab ipso in domesticas tabulas, c. XIX. 23. arabico idiomate relata, & deinde a Mose vel viro quodam prophetico ante tempus, in quo Ezechiel vixit, Ezech. XIV. 14. 20. in Hebræum sermonem translata, certoque metro inclusa est, nam (1) c. XIX. 23. legimus ardentissimum Jobi votum, ut sua scriberentur in libro, (2) Jobus Arabs fuit, & totus hic liber Arabismum spirat, & (3) gaudet metro hebraico, & in cap. I. II. XLIII. hebraismo puro.

III. OBJECTVM PERSONALE. Illud est *Jobus*, quod nomen, si ex hebraica lingua a rad. אִי deducatur, *osorem impiorum*, sive *inimicum vitiorum* denotat, sin vero ex *arabica* lingua a rad. اِي derivetur, *serio ad Deum conversum* significat. Solo hoc nomine jam distinguitur a rege יֹבָב Jobabo, Gen. XXXVI. 33. & a filio Isfcharis יוֹב Jobo. Gen. XLVI. 13.

Ortum

Ortum suum probabiliter non ex Abrahamo traxit, (nam nunquam ad fœdus divinum gratiæ cum Abrahamo initum, vel ad circumcisionem provocat, neque Deum uspiam ex more posterorum, imo & fervorum Abrahami, Gen. XXIV. 27. Deum Abrahami appellat) sed ex *Nachoris, fratris Abrahami familia*, nam hujus filii fuere *Uz, Buz, Cesed* &c. Gen. XXII. 21. 22. Jobus vero habitavit in *terra Uz*, Job. I. 1. inter amicos ejus legitur *Elihu ex terra Buz*, c. XXXII. 2. & *Casdim*, five *Chaldæos*, ortos a *Cesed*, *vicinos* habuit, c. I. 17. accedit, quod terra *Uz* contermina aut vicina sit *pristinæ Nachoris sedi Charani*.

Vir fuit *pietate*, c. I. 1. 8. *opulentia*, c. I. 14-17. & *dignitate*, c. XXIX. 7-11. 20-25. præ ceteris omnibus conspicuus, & quidem in *terra Uz*, c. I. 1. quæ est in *Arabia deserta*, ejusque *parte septentrionali*, nam solahæc regio *Uz*, five *Aus*, *Ausitis* vocatur, & adjacet illi *Chaldæa*, cui Jobi patriam vicinam fuisse, jam evictum est, mentio quoque Arabum injicitur. c. I. 15. Existisse vero Jobum, nec ficta esse, quæ de eo memoriæ prodita sunt, ceu putant plerique Ebræi veteres, & Christianorum quidam, in aprico est, nam (1) *Jacobus de Jobo* ceu persona loquitur, c. V. 11. & *Deus ejus simul cum Noa & Daniele meminit*, Ezech. XIV. 14. 20. & (2) *historica narratio nihil continet, quod ad figmenta relegandum sit, sed omnes veræ historiæ proprietates habet, siquidem nomina regionum indicantur; uxoris, liberorum & amicorum Jobi mentio injicitur; integritas, opulentia, dignitas, afflictiones, vita & obitus Jobi distincte recensentur, & ejusmodi historicæ circumstantiæ ubique adjiciuntur, quæ alias in parabolis omitti solent.*

Quod autem ad *tempus* hujus *historiæ* attinet, illam ante exitum *Israelitarum ex Ægypto*, & *legislationem*

tionem Mosaicam contigisse, colligimus (1) ex sacrificiis a Jobo ipso oblatis, contra legis ceremonialis præscriptum. c. I. 5. (2) Ex silentio miraculorum, quæ Deus tum in Ægypto, tum quoque post exitum Israelitarum edidit. (3) Ex frequentia & modo revelationum Dei, Jobo & amicis ejus factarum. c. IV. 12. sqq. XXXIII. 15. sqq. XXXVIII. 1. XLII. 5. 7. (4) Ex genere idololatriæ simpliciore. c. XXXI. 26. (5) Ex ætate Jobi, nam vitam ad CC. annos produxit, c. I. 2. coll. XLII. 16. cujus terminus tempore Moſis contractior fuit. Pl. XC. 10. Quæ cum ita ſint, pronepos aut abnepos Nachoris ex filio Uz fuit.

IV. ARGUMENTVM. Enarrat *adſlictiones* graviffimas, pio Jobo a Deo immiſſas, *patientiam* & *imbecillitatem* Jobi in iisdem, *ſermones*, quos Jobus cum amicis ſuis miſcuit, & *exitum* lætiſſimum, quem adſlictiones ejus habuere. Summa vero ſermonum amicorum Jobi hoc Syllogiſmo continetur: *Deus juſtus piis benefacit, impios vero adſligit.* Atqui *Jobus graviffime a Deo adſligitur.* Ergo *Jobus eſt impius, & ſuis peccatis pœnam promeruit, & propterea tenetur pœnitentiam agere, ſive peccata ſua agnoſcere & deplorare.* Reſpondet Jobus ad majorem, *Deum non tantum impios, ſed & pios calamitatibus afficere*, ut eorum fides, patientia & ceteræ virtutes probentur, & Dei gloria in mirandis illorum liberationibus conſpectior fiat. At tuetur ſuam hypotheſin ob vim doloris & ſuſpicionem amicorum, *durioribus* quandoque *verbis.* Diſſertationi huic graviffimæ *Elibu* finem impoſuit, IV. ſermonibus omnes ad ſilentium redigens, quos ſermones deinde Deus approbavit.

V. SCOPVS. Ille eſt, oſtendere: (1) Quod Deus pius quandoque, & quas ob cauſas, variis
F
cala-

calamitatibus affligat; (2) quod judicia Dei utcunque justa, sæpe tamen incognita sint; (3) quod pii in disputationibus de viis & judiciis Dei facile peccent; (4) quænam devia in afflictionibus a piis sint vitanda; (5) quod imbecillitas piis adhæreat, & tentationes eandem manifestent, & (6) quod Deus afflictionibus piorum tandem finem imponat, & iisdem citra illorum meritum beneficiat. Jac. V. 7-II.

VI. SINGVLARIA. (1) Præ aliis agit de providentia & gubernatione Dei. (2) Stilo conscriptus est arabismo largiter tincto, sublimi, arduo, gravibus sententiis variisque similibus ornato, & certo metro alligato. (3) Abstrusa sapientia est plenus, & omnium librorum V. T. longe difficillimus.

VII. ADDITAMENTVM IN VERSIONE LXX. INTERPRETVM. Tradit illud genealogiam quandam Jobi & amicorum ejus, sed rejiciendum est, quia non exstat in *codice Ebraeo*, & cum *veritate historica* pugnat.

VIII. TYPVS JESV CHRISTI. Ille est *Jobus*, qui *statum* Jesu Christi & *exinanitionis* & *exaltationis* præfiguravit.

IX. VATICINIUM DE JESV CHRISTO. c. XIX. 25-27.

X. ALLEGATIO IN N. T. c. I. & XLII. Jac. V. II. c. V. 13. I Cor. III. 19. v. 17. XII. 5. XLI. 2. Rom. XI. 35.

XI. PARTITIO. Continet

I. Calamitates Jobi, tum suis, cap. I. tum sibi infictas, ac disceptationem cum uxore. c. II.

II. Disputationes cum amicis suis habitas. Ubi notandum

A.) Dispu-

A) *Disputantium bellum, & quidem ejus
Congressus primus, ubi*

(a) *Occasio. c. III.*

(b) *Bellum ipsum cum amicis. c. IV-XIV.*

Congressus secundus cum iisdem. c. XV-XXI.

Congressus tertius. c. XXII-XXXI.

Congressus quartus cum Elihu, quatuor vicibus. c. XXXII-XXXVII.

B) *Decisum divinum, cujus argumentum, non esse opera Dei ex ingenio humano judicanda, c. XXXVIII. XXXIX. nec judicia divina vituperanda. c. XL. XLI.*

III. *Felicem Jobi exitum & recreationem, tam rationes mentis internas, c. XLII. 1-9. quam externas domesticas concernentem. c. XLII. 10-17.*

XII. LOCA NOTATV PRÆCIPVE DIGNA.

C. I. 5. 7-12. 21. II. 3-6. 9. 10. IV. 18. V. 12. 17. 19. 20. VII. 1. 20. VIII. 13. 14. IX. 2. 2. 13. X. 8. 11-13. XII. 4-9. 14. XIII. 16. XIV. 1. 2. 4. 5. XV. 15. 16. XX. 5. XXI. 13-15. XXII. 26-29. XXV. 4. XXVI. 14. XXVII. 5. 6. 8. 9. XXVIII. 28. XXX. 21. XXXI. 1. 19. 24. 29. XXXII. 21. 22. XXXIII. 4. 14-24. 29. 30. XXXIV. 10-12. 19. 21. XXXV. 14. 15. XXXVIII. 10. 11. XXXIX. 34. 35. XLI. 2. XLII. 2. 3. 6. 12.

XIII. LOCA DIFFICILIORA. C. I. 1. (coll. Pf. CXLVII. 20.) 5. 6. II. 3. 9. III. 3. sqq. IV. 18. V. 1. VII. 7. (coll. Pf. XXVII. 13.) IX. 6. (coll. Coh. I. 4.) 16. 22. (coll. Gen. XVIII. 25.) 29. XIV. 4. 5. 12. 14. XV. 15. XIX. 7. (coll. c. I. 18. 19.) 25-27. XXVI. 11. XXVII. 6. XXIX. 6. XXXI. 26. 31. 40. (coll. c. XXIX. 33.) XXXIII. 23. 29. XXXV. 10. XXXVI. 5. XXXVIII. 7. XL. 10. 20. XLII. 8.

MEMBRVM II.

DE LIBRO PSALMORVM.

I. INSCRIPTIO. Inscríbítur a potiori parte
Hebræis סֵפֶר תְּהִלִּים liber hymnorum s. laudum
& *Græcis Ψαλμοι s. βιβλος Ψαλμων, liber Psalmorum,*

morum, Luc. XX. 42. XXIV. 44. Act. I. 20. item *ψαλτηριον*, quod alias denotat instrumentum, quo psallitur, citharam vel nablum.

II. AUCTOR. Psalmus XC. a Mose, Ps. L. LXXIII. usque ad LXXXIII. ab Assapho, Musicorum principe e *Gerschonitis*, 1 Par. VII. (germ.) 39. 43. XVI. 16. 17. XXVI. 1. 2. 2 Par. XXIX. 30. Ps. CXXVII. a Salomone, Ps. XLII. XLIV.-XLIX. LXXXIV.-LXXXVII. a filiis Koræ, (sunt vero, qui putant, quod hi Psalmi filiis Koræ commissi sint, ut ab iisdem canerentur.) Ps. LXXXVIII. ab Hemane, Musicorum principe ex *Kabathitis*, Samuelis nepote, 1 Par. VII. (germ.) 33. 38. XVI. 16. 17. XXVI. 1. 4. 1 Reg. IV. 31. Ps. LXXXIX. ab Ethane s. *Jedithune*, Musicorum principe ex *Meraritis*, 1 Par. VII. 44. 47. XVI. 16. 17. XXVI. 1. 3. 1 Reg. IV. 31. reliqui vero a Davide, Spiritu Sancto instructo, 2 Sam. XXIII. 2. Act. IV. 25. compositi sunt, cui etiam Psalmi XXV. *ανεπιγραφοι* adscribi solent; ast negari nequit, nonnullos partim ante, partim circa, & partim post captivitatem Babylo- nicam ab aliis confectos esse. e g. Ps. CXXVI. CXXXVII. Quisnam Psalmos in illum, quo nunc illos habemus, ordinem redegerit, non certo quidem constat, plurimi vero id Synagogæ Judaicæ & præcipue Esræ tribuunt. Et quanquam Psalmi non unius sint auctoris, facta tamen a potiori denominatione recte Davidi tribuuntur, Christo præeunte. Luc. XX. 42. Fuit vero David *filius Isai* Bethlehemitæ, *natu minimus*. 1 Sam. XVI. 1. II. Dei jussu a Samuele rex unctus est, v. 12. 13. annos XXII. circiter natus. *Goliathum* gigantem *lapide*, e funda jacto, *prostravit*, & ipsius jugulavit gladio, c. XVII. mulierum propterea canticis celebratus. Cum vero hoc factum Sauli animo tan-
tam

tam injecit invidiam, ut Davidem amplius ferre non potuerit, vitæque ejus iterum iterumque insidias struxerit, c. XVIII. 7. sqq. David *fuga* salutis suæ consulere e re sua esse duxit, c. XIX. sqq. & omnibus insidiis, Dei provida cura ereptus est. 1 Sam. XXIII. 14. 2 Sam. XXII. 1. *Vitæ Sauli* pepercit, quando occasio illum interficiendi se obtulit. 1 Sam. XXIV. XXVI. Anno ætatis trigésimo Hebrone rex a tribu Judæ publice unctus, 2 Sam. II. 1-4. & paulo post a reliquis tribubus unanimi consensu rex agnitus, & *tertia vice* unctus est. 2 Sam. V. 1-4. *Arcem* Zionis Jebusæis ereptam, regni totius *sedem* constituit, eamque splendide exstruxit & amplificavit. 2 Sam. V. 6-12. Consilium agitavit de *templo* arcæ Dei, tanquam sede fixa, *condendo*, de quo vero desistere divinitus jussus est. 2 Sam. VII. A vicinis hostibus, Philistæis, Moabitis, Ammonitis, Syris & Edomitis *amplissimas* reportavit *victorias*, spoliaque pretiosa Deo consecravit ad structuram templi. 2 Sam. X. XI. VIII. Regnum administravit *juste & laudabiliter*. *Adulterium* cum *Bathsëba* commisit, illudque occultaturus, homicidii crimine auxit. c. XI. A Nathane eam ob rem graviter increpitus, & de instante pœna talionis certior factus, ingenti dolore tristitiaque peresus, serio, quod istius facinoris pœnitentia animum subierit, testatus est. c. XII. Pf. LI. XXXII. XXXVIII. Hoc vero non obstante in castigationem salutarem *adversa gravissima* expertus est. c. XIII. & c. Joabo ex arrogantia & vana quadam ambitione in mandatis dedit, ut omnes universi Israelis mares bello idoneos *numeraret*, quam vero recensionem pestis insecuta est. 2 Sam. XXIV. Morti vicinus *Salomonem* successorem ad sincerum Dei cultum inflammavit, eique formam templi exstruendi tradidit.

tradidit. 1 Reg. II. 1. sqq. 1 Par. XXIX. (germ.) *Pietatis ac virtutum omnium exemplum pulcherrimum posteris reliquit.* 1 Reg. XV. 5. Non tantum rex populi Judaici, sed & propheta Dei, Act. II. 30. ac musicæ & poeseos peritissimus fuit. 2 Sam. XXIII. 1. Syr. XLVII. 10. 11. Nemo ante illum tam multas & svaves dictione elegantesque odas, omnem pietatis doctrinam continentes ad perpetuum ecclesiæ usum conscripsit. De Christo egregia *vaticinia* edidit, 2 Sam. XXIII. 1-3. eumque præfiguravit ratione *personæ, vocationis & unctio- nis, officii, operum, perpeffionum, tolerantie & liberationis* divinæ.

III. ARGUMENTVM. Continet liber Psalmorum epitomen totius V. T. absolutam hominis anatomen, preces, afflictiones, infirmitatem, fidem & patientiam piorum, solatia in quavis calamitate, testimonia egregia de Deo ejusque attributis, voluntate, providentia, operibus, liberatione piorum gloriosa, & modo, quem tenet in conserva- tione, gubernatione & amplificatione ecclesiæ, celebrationem nominis divini, & augustissima vati- cinia de Christo ejusque regno.

IV. SCOPVS. Ille est triplex. *Primus* æstimandus est ex privato Scriptoris usu, quem sibi in dato casu proposuit. *Secundus*, ut cultui publico in- serviret, quo factum, ut certi Psalmi certis quoque temporibus & circumstantiis canerentur. 1 Paral. XVI. 37. Esræ III. 10. Nehem. XII. 45. *Tertius*, isque præcipuus, toti ecclesiæ omni tempore est destinatus, ut haberet informationem de Deo; Messia ejusque regno, refectionem mentis & inti- miorum adfectuum piorum, librum precum & can- tionum, eruditionem de viis divinis, excitationem ad fidem, institutionem vitæ s. morum, consola- tionem

tionem in afflictionibus, & institutionem in omnibus casibus, qui existere possunt. Nullus enim vel in republica, vel ecclesia, vel fidei quopiam, vel etiam impio quodam, casus contingere potest, cui non consilium, aut medium, aut modus rei gerendæ suppeditatur. Et ut hic finis eo magis obtineretur, hicce liber sapientissimo Dei consilio canticis constat, nam omnes concedunt, poësin æque ac musicam in movendis sedandisque affectibus mira gaudere virtute. 2 Reg. III. 15. 1 Sam. XVI. 16. 23. Et quis nescit, metris inclusa rotundis faciliora captu esse, nec tam cito effluere, quam orationem solutam?

V. SINGVLARIA. (1) Conscriptus est stilo puro, suavi, eleganti, metri legibus adstricto, & ad alphabeti ordinem nonnunquam disposito, quem conspiciamus in Pf. XXV. XXXIV. XXXVII. CXI. CXII. CXIX. CXLV. & probabiliter in subsidium memoriæ adhibitus est; singuli vero versus horum Psalmorum non incipiunt a singulis diversis alphabeti literis, excepto Pf. CXIX. (2) Est liber plane egregius, quod patet ex argumento, & ex allegatione Christi & apostolorum creberrima. LUTHERVS hunc librum PARVA BIBLIA appellat, & MELANCHTON elegantissimum scriptum in toto mundo, & est certe uberrimum omnis doctrinæ salutaris promptuarium. (3) Est liber cantionum veteris ecclesiæ. Decantati vero sunt Psalmi partim voce mera solaque sine admistis instrumentis, partim ad organa musica, quæ erant vel *inflatilia* vel *pulsabilia*. Illi dicti videntur שירים *odes*, hi autem מזמרים *ψαλμοι* stricte sic dicti, quorum quidam ita usurpati sunt, ut organa musica decantantium voces in versiculis singulis sequerentur, inde *ode Psalmi* dicti; Pf. XLVIII.

LXVI. alii, ut praeuntibus organis voces sequerentur, inde *Psalmodae* appellati. Pf. XXX. LXV. &c. In nonnullis autem vox humana cum pulsu aut tactu organorum videtur fuisse conjuncta. Pf. XCVIII.

VI. ALLEGATIO IN N. T. Pf. II. 1, 2. Act. IV. 25, 26. v. 7. Act. XIII. 36. Ebr. I. 5. V. 5. v. 8, 9. Apoc. II. 26, 27. V. 10. & CXL. 4. Rom. III. 13. VIII. 3. Matth. XXI. 16. v. 5-7. Ebr. II. 6-8. v. 7. 1 Cor. XV. 27. X. 7. Rom. III. 14. XIV. 1-3. & LIII. 2-4. Rom. III. 10-12. v. 7. Rom. XI. 26. XVI. 8-10. Act. II. 25-28. 31. v. 10. Act. XIII. 35. XVIII. 13. Ebr. II. 12. v. 50. Rom. XV. 9. XIX. 5. Rom. X. 18. XXII. 1, 2. Rom. IV. 6-8. Matth. XXVII. 46. Marc. XV. 34. v. 19. Matth. XXVII. 35. Joh. XIX. 24. v. 22. Apoc. III. 7. v. 23. Ebr. II. 12. XXIV. 1. 1 Cor. X. 26, 28. XXXIV. 13-18. 1 Petr. III. 10-12. XXXV. 19. Joh. XV. 25. XXXVI. 2. Rom. III. 18. XXXIX. 13. Ebr. XI. 13. XL. 7-9. Ebr. X. 5-7. XLI. 10. Joh. XIII. 18. XVII. 12. Act. I. 16. XLIV. 23. Rom. VIII. 36. XLV. 7. Ebr. I. 8, 9. XLIX. 8. 2 Cor. VI. 2. LI. 6. Rom. III. 14. LXV. 5. Rom. XV. 3. Ebr. XIII. 6. LXVIII. 19. Eph. IV. 18. LXIX. 5. Joh. XV. 25. v. 10. Joh. II. 17. v. 22. Joh. XIX. 28. v. 23, 24. Rom. XI. 9, 10. v. 29. Act. I. 40. LXXVIII. 24. Joh. VI. 31. LXXXII. 6. Joh. X. 34. LXXXIX. 4. Act. II. 30. XC. 4. 2 Petr. III. 8. XCI. 11. Matth. IV. 6. Luc. IV. 10, 11. Ebr. I. 14. XCIV. 11. 1 Cor. III. 20. XCV. 7-11. Ebr. III. 7-11. IV. 3, 5-7. XCVII. 7. Ebr. I. 6. CII. 26-28. Ebr. I. 10-12. CIV. 4. Ebr. II. 7. CIX. 8. Act. I. 20. CX. 1. Matth. XXII. 43, 44. Marc. XII. 36. Luc. XX. 42, 43. Act. II. 34, 35. 1 Cor. XV. 25. Ebr. I. 13. v. 4. Joh. XII. 34. Ebr. V. 26. VII. 17, 21. CXII. 9. 2 Cor. IX. 20. CXVI. 10. 2 Cor. IV. 13. CXVII. 1. Rom. XV. 11. CXVIII. 6. Ebr. XIII. 6. v. 22, 23. Matth. XXI. 42. Marc. XII. 10. Luc. XX. 17. Act. IV. 11. 1 Petr. II. 4. v. 25, 26. Matth. XXI. 9. Joh. XII. 13. Marc. XI. 9. CXXXII. 18. Luc. I. 69, 70.

VII. PARTITIO. Hebraei dividunt totum volumen ad imitationem legis, in pentatevchum f. V. libros, quorum

- I. a Pf. I-XLI.
- II. a Pf. XLII-LXXII.
- III. a Pf. LXXIII-LXXXIX.
- IV. a Pf. XC-CVI.
- V. a Pf. CVII-CL. ex quibus IV. priores libri clauduntur vocula Amen. In versione LXX. Inter-

Interpretum, Syriaca, Arabica, ac Æthiopica exstat Pf. CLI. cujus argumentum est pugna cum Goliatho; ast rejiciendus est, quia genio Davidis minime convenit, in codice Ebræo non apparet, & a Patribus conciliisque non laudatur.

Si autem rem consideres, ita dividuntur, ut *alii* sint doctrinales f. didactici; *alii* admonitorii; *alii* meta-noetici f. pœnitentiales; (Pf. VI. XXXII. XXXVIII. LI. CII. CXXX. CXLIII.) *alii* consolatorii f. paracletici; *alii* petitorii, *alii* gratiarum actorii f. evcharistici & laudatorii; *alii*, iique plerique, prophetici de Christo ejusque divina & humana natura, generatione æterna, officio triplici, utroque statu, de ejus cum sponsa desponsatione & consuetudine, de evangelii propagatione, de hostibus Christi & fidelium, & de omnibus iis, quæ in amplissimo regni ejus ambitu continentur, quorum præcipue sequentes pertinent. Pf. II. VIII. XIV. XVI. XVIII. XIX-XXIV. XXIX. XXXI. XXXV. XL. XLI. XLV. XLVII. LXVIII. LXIX. LXXII. LXXXIX. XCIII. XCV-C. CII. CIX. CX. CXVII. CXVIII. CXXXII. CXLIX. ultimo notandum est, quod Græci & Latini Pf. IX. & X. nec non Pf. CXIV. & CXV. conjungant & Pf. CXVI. & CXLVII. dividant, unde in numerandis Psalmis inter Latinos Græcosque & inter Ebræos quædam est differentia.

VIII. LOCA DIFFICILIORA. Pf. I. 1. 2. (coll. Rom. IV. 6.) 3. II. 7. 9. (coll. Jes. XLII. 3.) 10. 12. IV. 5. (coll. Matth. V. 22.) V. 6. (coll. Luc. XVI. 8.) 7. (coll. Jos. II. 13. sqq.) VI. 7. VII. 1. 9. (coll. Pf. CXLIII. 2.) VIII. 3. (coll. Jon. IV. 11.) IX. 1. 17. 18. 21. X. 1. (coll. Jer. XXIII. 23.) XI. 3. XIV. 3. (coll. Luc. I. 6. Job. I. 1.) XVI. 3. 4. 7. 9. 10. XVII. 14. 15. XVIII. 5. 11. 21. 27. 42. (coll. Matth. VII. 8.) 45. XIX. 5. (coll. Rom. X. 18.) 8. (coll. 2 Cor. III. 7.) II. (coll. Ezech. XX. 25.) XXI. 13. XXII. 13. 21. 22. XXIII. 4. XXVII. 10. (coll. 1 Sam. XXII. 1.) XXIX. 3. 4. 6. 9. XXXII. 3. 6. 10. (coll. Pf. LXXIII. 5.) XXXIV. 1. (coll. 1 Sam. XXI. 12.) 11. (coll. 2 Tim.

III. 12.) 16. 17. 21. (coll. Hebr. XI. 37.) XXXV. 6. (coll. Matth. V. 4.) 20. XXXVI. 10. XXXVII. 9. 25. (coll. Luc. XVI. 20.) XXXVIII. 6. XXXIX. 7. XL. 7. (coll. Hebr. X. 5.) 8. (coll. Hebr. X. 7.) XLII. 4. (coll. Pf. XXX. 6.) XLIV. 24. (coll. Pf. CXXI. 4.) XLV. 3. (coll. Jef. LIII. 2.) 5. 6. 9. 13. 16. L. 9. LI. 6. 9. 13. LVII. 9. LVIII. 10. 11. LX. 10. LXVIII. 14. 15. 18. 23. (coll. Rom. XII. 14.) 28. 31. LXIX. 29. LXXII. 3. 8. (coll. Joh. XVIII. 36. 20.) LXXIV. 5. 9. LXXVIII. 23. 24. (coll. Joh. VI. 32.) 25. LXXIX. 6. LXXXI. 6. 7. LXXXII. 6. LXXXIII. 10. LXXXIV. 7. LXXXVIII. 6. (coll. Pf. XXXIV. 21.) LXXXIX. 38. XCI. 3. 5. XCVII. 5. XCIX. 5. CII. 25. (coll. Coh. I. 4.) CIII. 5. CIV. 3. 4. CV. 19. 37. (coll. Deut. XXV. 18.) CVI. 37. CVIII. 8. 10. CX. 2. 3. 7. CXV. 17. CXVI. 11. (coll. Apoc. XIV. 5.) CXIX. 176. CXX. 5. CXXI. 6. CXXVI. 6. CXXXVI. 6. CXXXVII. 7. 9. CXL. 11. CXLVII. 19. 20. (coll. Act. XIV. 17.)

MEMBRUM III.

DE PROVERBIIS SALOMONIS.

I. INSCRIPTIO. *Hebræis ab argumento inscribitur מְשָׁלִי שְׁלֹמֹה comparative s. dominantes sententiæ Salomonis, & Græcis παροιμιαί Σαλωμωνος, proverbialia Salomonis. Denotant vero מְשָׁלִים in genere dicta sententiosa, s. aphorismos rotundos, five propriis, five figuratis vocibus expressos, & in specie (1) sententias comparativas, s. comparationes rei ad rem aliam, qualis Ezech. XXIV. 3. occurrit. (2) Sententias usu receptas s. proverbialia, ex comparationibus enim curtatis plerumque fiebant proverbialia. 1 Sam. X. 12. (3) Sententias graviter dictas, paucis verbis res magni momenti complectentes. Job. XXVII. 1. Num. XXIII. 1. 18. Hæ omnes hoc libro continentur, & dominantes sive regie dicuntur, conf. c. VIII. 6. quia ceteris sunt excellentiores, plenæ sapientiæ, gravitatis, utilitatis & acuminis, animumque singulariter percellentes, & propterea sapientissimis semper in deliciis fuere.*

II. AVCTOR. Procul dubio Salomo rex Israelitarum, præcipuas suas sententias 1 Reg. IV. 32. 33. in usum aliorum consignavit & evulgavit. Conf. c. I. 1. coll. XXV. 1. Ea vero, quæ cap. XXV. usque ad cap. XXIX. incl. sequuntur, a *viris Hiskie* collecta sunt. *Aguris* vero pericopam c. XXX. contentam suam fecit, & *matris Bathseba dictata* c. XXXI. recensuit, forte quoque ita emaculavit & ordinavit, ut illa inter sua numerari possent. Quod vero ad *Salomonem* attinet, fuit *Davidis ex Bathseba* filius. 2 Sam. XII. 24. Dei jussu *Salomo*, i. e. *pacificus* appellatus est, in quo & alta pax regno ejus promissa, & Christus adumbratus est. 1 Par. XXXIII. (germ.) 9. A *Nathane Fedidjab*, dilectus Domino, 2 Sam. XII. 25. coll. 24. & a matre *Lemuel*, i. e. Deo adscriptus dictus est. Prov. XXXI. 1. Moderatorem suæ juventutis habuit *Nathanem*. 2 Sam. XII. 25. Precibus suis a Deo admirandam impetravit *sapientiam*, 1 Reg. III. 12. IV. 29-33. cujus fama quoque ad externos sparsa, eosdem in admirationem rapuit. 1 Reg. IV. 34. X. 1. sqq. Sir. XLVII. 16-19. Annos circiter XVIII. natus ad imperii administrationem accessit. 1 Reg. III. 7. 1 Par. XXIII. (germ) 5. *Templum Hierosolymitanum* extruxit, domumque regiam, XX. annis in utroque opere transactis. 1 Reg. VI. sqq. *Auctoritas, potentia, opulencia & magnificentia* ejus fuit maxima, & nulla unquam lætiora aut pacatiora ecclesia Israelitica adspexit tempora. Ad finem vitæ, e monstrosæ polygamie vitio in *crimen idololatriæ* delapsus, *iram & vindictam* Dei in se provocavit. 1 Reg. XI. 1-26. Anno regni sui XL. diem obiit supremum. 1 Reg. XI. 42. 43. Probabile est, quod ante obitum suum *pœnitentiam* egerit. vid. M. IV. N. III. p. 94. *Typum Christi* gessit insignem, Matth XII. 42. & quidem respe-

respectu nominis, unctiois, sapientiae, justitiae, potentiae, opulentiae, majestatis & templi exstructionis.

III. ARGUMENTVM. Continet hic liber praecepta fidei & morum, sive compendium ethicæ christianæ, aut doctrinam moralem omni philosophia morali, ingenio formata humano, longe superiorem & excellentiorem, & propterea vere βασιλικον δωρον dicendus.

IV. SCOPVS. Unumquemque ab impietate & stultitia ad veram pietatem & sapientiam manu quasi ducere. Conf. c. I. 1. & c. XXII. 19. c. III. 13. sqq.

V. TEMPVS SCRIPTIONIS. Probabiliter a Salomone ante lapsum suum consignatus est, siquidem illius non meminit.

VI. SINGVLARIA. (1) Sapientia Homeri, Hesiodi, Thaletis, Pythagoræ aliorumque cum sapientia, quæ in hoc libro continetur, collata, nil nisi nox est. (2) Omnium ordinum homines instruit, eorumque felicitatem procurat. (3) Stilo conscriptus est ad leges poeseos composito, venusto, ingenioso, conciso, suavi, & aliquando paululum obscuro pro more dictorum, quæ continet. (4) Est compendium Theologiæ moralis.

VII. CLAVIS PROVERBIORVM. (1) Attendenda est in plerisque sententiis antithesis seu comparatio. (2) Observandum alterutrum sæpe membrum sententiæ ex altero supplendum, c. X. 8. subjectum orationis cum prædicato crebro transponi, c. X. 4. 20. nonnullas gnomas hyperbolen habere, ut emphasis orationi concilietur, c. XVII. 17. alias ironiam atque mimesin, c. XIX. 27. & nonnullas exhibere observationes potius facti, quam juris. c. XVII. 8. XVIII. 16.

VIII. TE-

VIII. TESTIMONIUM DE JESU CHRISTO.

C. I. 20-fm. VIII. IX.

IX. ALLEGATIO IN N. T. C. I. 16. Rom. III. 15.

III. 7. & XX. 22. Rom. XII. 17. v. 11. Ebr. XII. 5. v. 12.
 Apoc. III. 19. Ebr. XII. 6. v. 34. Jac. IV. 6. X. 12. 1 Petr. IV. 8.
 XI. 31. 1 Petr. V. 18. XXV. 21. Rom. XII. 20. XXVI. 11. 2 Petr.
 II. 22.

X. PARTITIO. Continet hic liber

I. *Exordium*, c. I-IX. ubi sapientia cœlestis & vera Dei cognitio, tanquam fons & fundamentum omnium virtutum celebratur.

II. Collectionem *proverbiorum Salomoniorum*. c. X-XXIV.

III. Collectionem *proverbiorum a viris Hiskie*. congestam. c. XXV-XXIX.

IV. *Verba Aguris mystica*. c. XXX.

V. *Monita materna Lemueli tradita*. c. XXXI.

XI. LOCA NOTATA PRÆCIPVE DIGNA.

C. I. 10. 20-33. II. 7. 8. III. 3-7. 11. 12. 27. 33. IV. 18. 23. 25.
 VI. 21-23. VIII. 11. 13. 17. IX. 7. X. 3. 12. 16. 19. 22. 24. 28.
 XI. 2. 7. 15. 20. 23. 28. 30. 31. XII. 1. 10. 22. XIII. 12. 24.
 XIV. 9. 26. 27. 31. 32. 34. XV. 8. 15. 16. XVI. 1-5. 9. 18. 32. 33.
 XVII. 5. 13. 15. XVIII. 1. 10. XIX. 5. 17. XX. 1. 6. 24. XXI.
 1-3. 12. 13. 27. 31. XXII. 4. 14. 15. 19. 20. XXIII. 17. 26. 29. 30.
 XXIV. 8. 16. 17. 29. XXVII. 1. XXVIII. 1. 2. 9. 13. 20. 26. XXIX.
 24. 27. XXX. 7-9. 17.

XII. LOCA DIFFICILIORA. C. I. 26. 28. III. 3.

VI. 30. 31. (coll. Exod. XXII. 1.) VIII. 22. 31. X. 2. (coll. Jef. LVII. 5.)
 12. (coll. Rom. IV. 5.) XIII. 8. (coll. 1 Petr. I. 18.) XVI. 4. 6.
 (coll. Hebr. IX. 22.) 7. XVII. 15. (coll. Rom. IV. 5.) XX. 9.
 (coll. Matth. V. 8.) XXIV. 16. XXVI. 4. (coll. v. 5.) XXX. 1-3.
 XXXI. 1. 11. (coll. Jer. XVII. 5.) 22. (coll. Luc. XVI. 19.)

MEMBRUM IV.

DE ECCLESIASTE SALOMONIS.

I. INSCRIPTIO. *Hebræis* inscribitur קהלת
Cobeletb, & *Græcis* Εκκλησιαστας, *Ecclesiastes*.
 Denotat

Denotat autem קהלת ipsum Salomonem, c. I. 1. XII. 9. 10. qui Coheleth appellatus est, vel propter sapientiam suam, ob allecationem & congregationem, tum extraneorum, tum popularium, dictam *congregatricem*, 1 Reg. IV. 34. vel, quia convocatos aulae proceres, praecipuosque de plebe sapientiam docuit, Coh. XII. 9. 1 Reg. X. 8. vel, quia homines vagabundos ad Deum rursus ejusque timorem congregaturus, hunc librum conscripsit. Ebraicae inscriptioni *græca* ex affe respondet, *ecclesiastes* enim *congregatorem & concionatorem* designat.

II. AUCTOR. Quod Salomo hunc scripserit librum, liquet ex c. I. 1. 12. 16. II. 4-10. XII. 9. 10. (coll. 1 Reg. IV. 32.) Non vero sine divina providentia præ reliquis Salomo excitatus est, qui rerum hujus seculi omnium vanitatem doceret.

III. TEMPUS SCRIPTIONIS. Probabiliter a Salomone consignatus est *ad finem vitæ suæ*, c. II. 4-11. 17. 18. & *post sanatam a Deo mentem*, nam totius libri summa est *submissio* animi auctoris coram Deo, nec non vanitatum & peccatorum, quibus se obnoxium reddiderat, *confessio & deprecatio*. c. II. 1. sqq. v. 11. 18. Salomo fecutus est *exemplum patris Davidis*. Pl. LI. 15.

IV. ARGUMENTVM. Continet *summum bonum* hominis, refutatis falsis de illo opinionibus.

V. SCOPVS. Ille est, demonstrare vanitatem rerum omnium hujus mundi, & ab hac, tanquam bono apparenti, abducere homines ad timorem Dei, & communionem cum ipso, tanquam ad verum, constans & summum bonum. C. I. 2. XII. 13. sive, illos erudire, ut terrena contemnant, & in timore Dei, & cum gratiarum actione rebus a Deo creatis

creatis utantur sine sollicitudine futurorum, ac tranquillum & quietum cor habeant, animumque gaudii plenum.

VI. SINGULARIA. (1) *Stilus* hujus libri est *poeticus* & paululum *obscurus*, præsertim ob vocabula quædam inusitata & locutiones singulares, ob abruptam sententiarum brevitatem, rerumque, quas tractat, varietatem, earumque non semper obviam statim connexionem & structuram, & quia non illico ubivis locorum animadvertit lector, num ex sua, an Epicureorum mente, loquatur auctor. LVTHERO est *stilus* aulicus. Habet vero hæc obscuritas suam utilitatem, siquidem legentis studium magis exacuit & accendit, uti ad diligentiam attentioem adhibendam, ita ad divinum lumen eo submissius implorandum. (2) Occurrunt sententiæ nonnullæ, præcipue c. III. & IX. quæ obiter lectæ securitati patrocinari videntur, at collatæ cum scopo auctoris, sensum pietatis plenissimum fundunt. (3) Piorum animos, tentationibus & turbis variis agitados, mirum in modum componit. (4) Legitur a Judæis publice *festis tabernaculorum*, quia docet, omnia esse vana, & unumquemque debere lætum & contentum esse iis, quæ Deus largitur.

VII. PARTITIO. Ostenditur hoc libro verum summum bonum, & quidem

- I. *Oppositum*, nempe vanitas in omnibus mundanis. c. I-III. 1-11.
- II. *Doctrina* ipsa, s. in quo summum bonum consistat. c. III. 12. 13.
- III. *Vindiciæ* traditæ enumeratione aliquot casuum. c. III. 14-IV. 1-16.
- IV. *Media*, per quæ ad summum bonum pervenitur, XIV. regulis comprehensa. c. IV. 17-XII. 1-7.

V. *Epi-*

V. *Epilogus*. c. XII. 8-fin. five

- 1.) *Thesis* totius libri. c. I. 1. 2.
- 2.) *Theses* demonstratio. v. 3-XII. 1-7.
- 3.) *Epilogus*. c. 8-fin.

VIII. LOCA NOTATA PRÆCIPVE DIGNA.

C. I. 2. 13. II. 2. III. 11. IV. 17. V. 1. 4. 9. VII. 3. 4. 9.
15. 30. VIII. 11. 12. 14. IX. 11. XI. 9. 10. XII. 1. 7. 13. 14.

IX. LOCA DIFFICILIORA. C. I. 2. (coll. Gen. I. 31.)

7. 9. (coll. Hebr. IX. 26. & Jer. XXXI. 22.) II. 2. (coll. Prov. XVII. 22.) 15. (coll. Prov. VIII. 35.) 16. (coll. Pf. CXII. 6. & Apoc. XIV. 13.) 24. III. 4. 12. 19. 21. V. 5. VII. 2. 17. (coll. Ap. XXII. 11.) 18. 21. (coll. 1 Joh. III. 9.) 30. VIII. 5. 10. 14. (coll. Pf. I. 3. 4.) IX. 1. 5. X. 2. 20. XI. 1. 2. 10. (coll. Matth. V. 4.) XII. 2-6. 11. 12.

MEMBRUM V.

DE CANTICO SALOMONIS.

I. INSCRIPTIO. *Hebræis* appellatur שִׁיר הַשְּׁרִים

Canticum canticorum, & *Græcis* Ὕμνα *Canticum*.

Est autem canticum oratio *elegans* secundum verba, *pathetica* secundum res, & *numeris adstricta* secundum sonum, & inscribitur hiece liber *Græcis* Canticum & *Ebræis* Canticum canticorum, quia continet canticorum omnium, quæ unquam scripta sunt, *excellentissimum*, nam structuræ *elegantia*, & *ubertate* mysteriorum omnia alia antecellit.

II. AUCTOR. Procul dubio Salomo hunc librum consignavit, c. I. 1. nec obstat, quod hic sermo sit de Salomone in tertia persona, non in prima, nam mos est sacri eloquii, ut ipsi, qui scribunt, sic *de se*, quasi *de aliis*, loquantur.

III. TEMPVS SCRIPTIONIS. Probabiliter Salomo hunc librum exaravit florentiori ætate.

IV. ARGV-

IV. ARGUMENTVM. Sub schemate sponſi ſponſæque imaginem illius unionis, communionis, & confortii ſpiritualis, quod eccleſia, & quælibet anima fidelis cum Chriſto habet, Eph. V. 32. ut & animarum fidelium varium ſtatum, infirmitates, tentationes, deſertiones, perſecutiones & auxilia vivis veluti coloribus depingit. Ex quo apparet illum tantum hujus libri idoneum eſſe lectorem, qui, extinctis intra ſe impudici amoris flammis, totus amore Jeſu Chriſti flagrat, ejus communionem uberioſiorem deſiderat, & ſenſus ſpirituales exercitatosque habet ad dijudicanda ſpiritualia. Hebræi juvenes a lectione hujus libri arcent, teſte HIERONYMO *præf. in Ezech. Rectius autem, ut bene monet HEIDEGGERVS Enchir. Bibl. p. 299. facturi fuiſſent, ſi ad virtutis potius, quam annorum plenitudinem attendiſſent. Dummodo enim lector ſit timens & amans Dei, obſcænis a voluptatibus abhorrens, ſobrius adeo, temperans, docilis, humilis, exercitatos habens in S. literis ſenſus, & præditus experientia qualicunque fatorum eccleſiæ, non poterit non ex lectione Cantici hujus excellentiſſimi fructus uberrimos percipere.*

V. SCOPVS. Pios erudire de communionem arcetiſſima, quæ illis cum Chriſto intercedit, intermeratam ſinceritatem, majeſtatem & inexpugnabilem conſtantiam amoris, quo Meſſias fideles complectitur, ob oculos ponere, & fidelium corda amore Jeſu Chriſti inflammare, ac de reliquis officiis inſtruere.

VI. SINGVLARIA. (1) Eſt explicatio Pſ. XLV. & Eph. V. 32. ac compendium Theologiæ myſticæ. (2) Stilo conſignatus eſt *poetico, ſublimi, ſuavi, blanditiis multum referto, figurato, ſ. perpetuis metaphoris, allegoriis & ſimilibus orna-*

to, & paululum *obscuro*, non in se, sed nobis, quia materia, quam tractat, allegoricis tegminibus est involuta. (3) Modus tractandi est *dramaticus* & *dialogisticus*. (4) Legitur a Judæis publice festo *Paschatos* ad gaudium testificandum.

VII. PARTITIO. Potest hic liber dispesci in duas partes.

I. Pars prior agit de desiderio adventus Messæ sponfi

1.) expetiti, c. I.

2.) præstiti. c. II.

II. Pars posterior complectitur varios sponfi ac sponsæ sermones. c. III-VIII.

VIII. LOCA NOTATV PRÆCIPVE DIGNA.

C. I. 4. II. 16. III. 4. IV. 9. V. 2. 3. 6. 7. 10. VIII. 6. 7.

IX. LOCA DIFFICILIORA. C. I. 5. II. 7. 15. III. 7.

IV. 16. V. 11. VI. 7. 9. VIII. 6.

CAPVT III.

DE

LIBRIS PROPHETICIS.

I. DEFINITIO PROPHETARVM. Fuerunt personæ a Deo *electæ* & *vocatæ*, ut *voluntatem* ipsius, *immediate* quoque *sæpe revelatam*, & adhuc *futuram* hominibus notam facerent.

II. RATIO APPELLATIONIS. Propheta, quæ est vox origine *græca*, talem denotat virum, qui in *denunciatione*, *explicatione*, ac *applicatione* voluntatis alicujus versatur, & ejusdem significationis est נביא a נבא derivatum. Exod. VII. 1. 2. coll. IV. 14. 1 Cor. XIII. 9. Num. XII. 5. 6.

III. Mo-

III. MODVS REVELATIONIS DIVINÆ QUÆ PROPHEtis OBtIGIT. Revelata est illis voluntas divina (1) per *visionem*, s. per imagines vigilantium prophetarum oculis corporis, aut aciei mentis propositas. Ezech. VIII. 1. sqq. (2) Per *somnium*. Dan. VII. 1. sqq. (3) Per *ænigma* s. visiones emblematicas, aliud repræsentantes & aliud indicantes. Ezech. IV. 5. Jer. I. 11. 12. Am. VIII. 2. locutiones abstrusas & obscuras, Ez. XVII. 1. sqq. & actiones symbolicas, a Deo prophetis demandatas. Jes. XX. 2. Jer. XXVII. 2. (4) Per *figuram*, denotantem speciem aliquam Dei, visibili corpore ac schemate induti, quem oculis conspexerunt & loquentem audiverunt. Jes. VI. 1. sqq. (5) Per *immediatam Spiritus S. illuminationem ac suggestionem*. (6) Per *angelicam annunciationem*. Dan. VII. 16. sqq. IX. 21. Quatuor priores modi leguntur Num. XII. 6-8.

IV. ORDO, QVO SE EXCEPERVNT. Non eo ordine, quem in pandectis sacris conspiciamus, se excepisse prophetas, constat; interim tamen quoque ex altera parte difficile dictu est, quis priori, quis posteriori & potissimum inter *συνχρονος* veniat loco. Probabiliter vero ita essent ordinandi: *Jonas, Hoseas, Joel, Amos, Jesaias, Micha, Obadiah, Nahum, Habacuc, Zephaniah, Jeremias, Ezechiel, Daniel, Haggæus, Zacharias, Malachias*, ex quibus officio prophetico functi sunt *durante politia Israelitica* Jonas, Hoseas, Joel, Amos, Jesaias & Micha; *post abductionem Assyriacam* Hoseas, Joel, Micha, Obadiah, Nahum, Habacuc, Jeremias & Zephaniah; *durante captivitate Babylonica* Jeremias, Ezechiel & Daniel; & *post solutam captivitatem Babyloniam* Haggæus, Zacharias & Malachias.

V. DIVISIO. Dividuntur in *majores*, qui sunt

Jesaias, Jeremias, Ezechiel & Daniel, & *minores* quo reliqui pertinent. Divisio vero hæc neuti-
quam qualitatem aut merita prophetarum respicit,
sed *molem* tantum s. *quantitatem librorum*. Di-
cuntur *majores*, qui præ reliquis prolixa volumina
condiderunt. Quamvis enim Hoseas & Zacharias
numero capitum excedant Danielelem, tamen, quia
capita Hoseæ & Zachariæ sunt breviuscula, Danielis
autem prolixiora, ipsum etiam Hoseæ & Zachariæ
volumen libro Danielis minus est.

VI. ARGUMENTVM LIBRORVM PROPHETA-
RVM. Promissionem de Messia ejusque ad-
ventu & beneficiis illustrant, homines in ejus ex-
spectatione & fiducia confirmant, temporis sui
idololatriam severe redarguunt, veramque de Dei
cultu doctrinam egregie stabiliunt, secundæ tabulæ
vitia magno cum zelo taxant, pœnas, tum Judæis,
tum aliis populis instantes, nomine Dei prædicunt,
responsa dant illis, a quibus consulti sunt, histo-
rias quasdam interdum inspergunt, & mandata
divina specialia nota faciunt.

VII. SCOPVS. Ille est *contritio cordis* s. pœni-
tentia, *fides & vita sancta*.

VIII. CLAVIS LIBRORVM PROPHETARVM.
Illius vicem sustinet lectio *Pentatevchi, Psalmorum,*
novi Testamenti, & præsertim *librorum Regum &*
Chronicorum, haustaque ex illis *notitia externi &*
interni status utriusque regni Judæorum, & qui-
dem tempore illorum regum, sub quibus pro-
phetæ claruerunt.

MEMBRVM I.

DE LIBRO JESAIÆ.

I. SEDES ET ORDO. Liber Jesaiæ in omni-
bus codicibus sacris modernis primum tenet locum
inter

inter prophetas majores, & quidem (1) *ob temporis rationem*, siquidem Jesaias reliquos prophetas majores antecessit; (2) *ob contentorum excellentiam* s. copiosissima & clarissima de Christo vaticinia; (3) *ob libri molem*, qua cetera prophetarum scripta superat; & (4) *ob stili elegantiam*.

II. INSCRIPTIO. *Hebræis* a nomine auctoris secundarii, pro more in libris prophetarum recepto inscribitur יְשַׁעְיָהוּ *Jeschajah*; *Græcis* Ησαίας & *Latinis* *Jesaias* s. *Isaias*.

III. AUCTOR. Ille est *Jesaias*, c. I. 1. cujus notetur

- 1.) *Significatio nominis.* יְשַׁעְיָהוּ & יְשַׁעְיָהוּ *salutem Domini*, s. *Jehovah salvabit* significat, & ipsi a parentibus procul dubio non sine voto, nec sine Dei nutu impositum fuit; futurus enim erat præco illustrissimus illius, in quo omnis est *salus*. Act. IV. 12.
- 2.) *Ortus.* Amoz fuit filius c. I. 1. Quod autem ille Amoz non sit propheta Amos, liquido constat ex diversa nominum scriptione. Judæi tantum non omnes affirmant, Amaziae, regis Judæ, fratrem fuisse.
- 3.) *Officium s. munus.* Functus est officio *prophético*, immediate absque ullo dubio ipsi imposito, (nova enim vocatio & inauguratio c. VI. legitur) circiter A. LX. maximo zelo & ardore, dum corruptio & cultus hypocriticus omnes status maxime pervaserat; & quidem in *Judæa*, & præcipue in *urbe Hierosolymorum*, tempore *Usie*, *Fothami*, *Abasi* & *Hiskie*, regum *Judæ*; c. I. 1. ex quo apparet, quod *Eliam* & *Eliseum* secutus sit, & ex prophetis συγχορευς habuerit *Fonam*, *Joelem*, *Amosum*, *Hoseam* & *Micham*, e quibus

quibus *Amos & Hoseas* eodem, quo *Jesaias*, tempore inter *Israëlitas*, & *Joel & Micha* in *Judæa* vaticinati sunt.

- 4.) *Singularia*. (1) Incomparabili perspicuitate per Spiritus S. gratiam nobilitata polluit, maximaque fide & dexteritate munus suum obiit. (2) *Stilus*, quo utitur, est *gravis, fœcundus, sœavis, figuratus, patheticus, nitidus & majestatis plenus, elegantissimus*, qualem non deprehendimus in historicis, oratoribus & poetis gentilibus. (3) Prophetas ad unum omnes venustate sermonis superat. (4) Ortum Messiae ex virgine prædixit. *Jes. VII. 14.* (5) Messiam ejusque vitam & opera adeo delineavit, & ob oculos posuit, ut nullus prophetarum cum eo comparari possit, unde & *Evangelistæ* nomine insigniri solet. **HIERONYMVS T. III. p. m. 7.** *Jesaias, inquit, non prophetiam mihi videtur texere, sed Evangelium.*

IV. ARGUMENTVM. Vide partitionem.

V. SCOPVS. Ille est, populum Judaicum comminationibus & promissionibus evangelicis a cultu idololatræ, morumque corruptelis avocare, & ad veram pœnitentiam invitare, magnumque illud gratiæ promissum de Messia uberius declarare, & novis quasi radiis illustrare, sicque veram ecclesiam tum temporis præsertim, & futuram erigere.

VI. VATICINIA DE JESV CHRISTO.

C. IV. I. VII. 14. VIII. 14. 15. IX. I. 2. 6. 7. XI. 1-6. XII. 3. XXVIII. 16. XXXV. 3-6. XL. 5. II. XLII. 1-4. XLIII. 24. 25. XLIX. 6. L. 4-9. LII. 7-10. LIX. 20. LX. 1-6. LXI. 1-3.

VII. ALLEGATIO IN N. T. C. I. 9. Rom. IX. 29. VI. 9. 19. Matth. XIII. 14. 15. Luc. VIII. 10. Joh. XII. 39-41. Rom.

Rom. IX. 29. & XI. 8. 2 Cor. III. 14. VIII. 13. 1 Petr. III. 14. 15. v. 14. Luc. II. 34. Rom. IX. 33. 1 Petr. II. 8. v. 18. Ebr. II. 13. IX. 1. Matth. IV. 14-16. IX. 7. Luc. I. 32. X. 22. 23. Rom. IX. 27. 28. XI. 1. Matth. II. 23. Act. XIII. 23. v. 10. Rom. XV. 12. Apoc. XXII. 16. XVI. 10. 11. 1 Cor. XV. 4. XXV. 8. 1 Cor. XV. 55. XXVI. 19. Eph. V. 14. XXVII. 9. Rom. XI. 27. XXVIII. 11. 1 Cor. XIV. 21. v. 16. Joh. VII. 38. Rom. X. 11. 1 Petr. II. 6. XXIX. 10. Rom. XI. 8. v. 13. Matth. XV. 7. 8. Marc. VII. 6. v. 14. 1 Cor. I. 19. XXXIII. 18. 1 Cor. I. 20. XL. 3-5. Matth. III. 3. Marc. I. 3. Luc. III. 4-6. v. 6. 7. 1 Petr. I. 24. 25. v. 9. Rom. IX. 20. v. 13. Rom. XI. 34. XLII. 1-4. Matth. XII. 17-21. v. 6. Luc. XI. 32. XLIV. 3. Joh. VII. 38. XLV. 23. Phil. II. 10. XLIX. 6. Luc. II. 32. Act. XIII. 47. & XXVI. 23. LII. 5. Rom. XI. 24. 27. Rom. X. 15. v. 11. 12. 2 Cor. VI. 17. v. 15. Rom. XV. 24. v. 7. LIII. Act. XXVI. 22. 23. v. 1. Joh. XII. 38. Rom. X. 16. v. 4. 1 Petr. II. 24. v. 4. 5. Matth. VIII. 17. v. 6. 1 Petr. II. 25. v. 8. 9. 1 Cor. XV. 3. 4. 1 Petr. II. 22. v. 12. Marc. XV. 28. Luc. XXII. 37. LIV. 1. Gal. IV. 27. v. 13. Joh. VI. 45. LV. 3. Act. XIII. 34. v. 17. 2 Petr. III. 13. LVI. 7. Matth. XXI. 13. Marc. XI. 17. Luc. XIX. 46. LIX. 7. 8. Rom. III. 5-8. LIX. 20. 21. Rom. XI. 26. 27. LX. 1. Matth. V. 34. 35. Eph. V. 14. LXI. 1. 2. Luc. IV. 18. 19. LXIV. 4. 1 Cor. II. 9. LXV. 12. Rom. X. 20. 21. LXVI. 1. 2. Act. VII. 48-50.

VIII. PARTITIO. In tres partes hicce liber dispeſci poteſt.

- I. *Pars prima* continet mixta ex lege & evangelio, ubi
 - 1.) Ad pœnitentiam invitatio ad populum Judaicum. c. I-XII.
 - 2.) Pœnarum comminatio, Judæorum hoſtibus denunciata. c. XIII-XVIII.
 - 3.) Excidii Hieroſolymitani denunciatio. c. XXIX-XXXV.
- II. *Pars ſecunda* continet hiſtorica de geſtis quibusdam Hiſkiæ & miniſterio Jefaia. c. XXXVI-XXXIX.
- III. *Pars tertia* continet evangelica de redemptione tum typica Judæorum ex captivitate Babylo-nica, tum ſpirituſuali, per Jeſum Chriſtum præſtanda. c. XL-LXVI.

IX. LOCA NOTATV PRÆCIPVE DIGNA.

c. I. 2-4. 8. 9. 13-19. III. 9. 10. 12. V. 11. 12. 14. 20-22. VI. 3.
 VIII. 10. 18. 20. XII. 1. 2. XXV. 4. 6-9. XXVI. 2-4. 9. 10. 16. 20.
 XXVII. 4. 5. 8. 11. XXVIII. 15. 19. 29. XXIX. 13-15. 21. XXX.
 15. 18. 19. 21. XXXII. 17. XXXIII. 24. XXXIV. 16. XXXV.
 8. 10. XXXVIII. 15-17. XL. 28-31. XLI. 4. 10. XLIII. 1. 2. 11.
 XLIV. 3. 22. XLV. 22-25. XLVI. 4. XLVIII. 10. 17. 18. 22.
 XLIX. 4. 14-15. L. 10. LIII. 3-6. 11. LIV. 7-10. LV. 1-3.
 6-11. LVII. 1. 2. 15. 16. 20. LVIII. 2. 6-9. LIX. 1. 2. LX. 1. 21.
 LXI. 10. LXII. 3. 5. LXIII. 9. 10. 16. LXIV. 6. LXV.
 1. 2. 13. 14. 17. 24. LXVI. 1. 2.

X. LOCA DIFFICILIORA. C. I. 12. 16. 18. 22.

II. 4. 6. 22. IV. 1. 4. V. 1. VI. 1. (coll. Joh. IV. 24.) 2. 9. 10.
 VII. 8. 12. 13. (coll. Matth. XII. 29.) 14. (coll. Luc. II. 21.) 15.
 VIII. 1. 14. 15. 20. IX. 3. 4. XI. 6-8. XIV. 12. 13. 29. XV. 5.
 XVIII. 1. XIX. 2. 19. 20. XX. 2. XXII. 14. XXIII. 17. (coll. Ezech.
 XXVI. 14. 21.) XXV. 6. 7. XXVI. 14. XXVII. 1. XXX. 11. 26.
 XXXII. 15. XXXIII. 7. XXXIX. 7. XL. 2. 5. (coll. Luc. III. 6.)
 XLIII. 1. 2. XLV. 7. XLIX. 11. LIII. 9. LIV. 13. LX. 6-8. 19.
 LXIII. 1. 2. LXV. 1. (coll. 1 Par. XXIX. germ. 9.) 11. LXVI. 23. 24.

MEMBRUM II.

DE LIBRO JEREMIÆ.

I. ORDO. Sequitur in modernis codicibus li-
 brum Jesaïæ, quod & temporum postulat series.
 Olim vero in codice prophetarum talmudico
 librum Jesaïæ antecessit, ac proinde primum obti-
 nuit locum, ceu patet ex testimonio Judæorum, &
 ex codicibus quibusdam MSS. Judæorum quidam
 statuerunt, libros Regum a Jeremia esse exaratos,
 & hæc persuasio sine dubio effecit, ut illius pro-
 phetiam ipsis libris Regum, tanquam ejusdem au-
 ctoris monumento jungendam censuerint, præci-
 pue, cum extrema illa librorum Regum ad illustran-
 dam prophetiam Jeremiæ faciant; hunc autem or-
 dinem Masorethæ non sine causa mutarunt. Hæc
 lucem affundunt Matth. XXVII. 19. nam Matthæus
 Jeremiæ

Jeremiæ nomine totum prophetarum volumen, cui denominatio a primo ejus loco hæsit, designat. Conf. Luc. XXIV. 44.

II. INSCRIPTIO. A nomine *auctoris* secundarii appellatur *Hebræis* יֵרֵמְיָהוּ *Firmejabu*, & *Græcis* Ἰερεμίας, *Jeremias*.

III. AUCTOR. Ille est *Jeremias*, c. I. 1. cujus notetur

- 1.) *Significatio nominis* יֵרֵמְיָהוּ a יֵרֵמָה derivatum significat: *projiciet Dominus*, experientiæque optime respondet; nam projectionem populi a facie Dei, cum prænunciatam, tum peractam edisserit. c. VII. 15. XXII. 2. 32. LII. 3.
- 2.) *Ortus*. Patre Chilkija Anathotensi, gregario probabiliter quodam sacerdote natus fuit, nam pater unus de sacerdotum grege vocatur, & Chilkijah, ille summus sacerdos, 2 Reg XXII. 4. ex Pinehasi familia ortus fuit, 1 Par. VII. (germ.) 4. 13. Anathot vero Ithamaris familiæ domicilium præbuit. 1 Reg. II. 26. fqq.
- 3.) *Patria*. Anathot, urbs sacerdotalis in tribu Benjamin sita. Jos XXI. 18. Hæc observatio illustrat Jer. XXXVII. 11. 17.
- 4.) *Officium*. Functus non tantum est officio sacerdotali, sed & prophetico, c. I. 1. & hoc quidem in *Judæa* & *Ægypto*, c. I. 18. XLIII. 7. 8. ultra XL annos, tempore *Josia*, *Joachasi* f. *Salumi*, *Fojakimi* f. *Jehojachini* & *Zedekia*, Regum Judæ; c. I. 2. 2. XXII. 11. 24. quæ tempora fuerunt exulceratissima. Ex prophetis συγγεγραμμενῶν habuit *Zephaniam*, *Habacucum*, *Ezechielem* & *Danielem*. Vid. p. 58. & 59.
- 5.) *Singularia*. (1) Admodum juvenis annos circiter XX. natus, officio prophetico admotus est. c. I. 6. coll. 1 Sam. III. 1. Num. VIII. 24.

I Par. XXIV. 24. (2) Nullus propheta tam multus fuit in præconio pœnitentiæ, ac Jeremias. (3) Jussus est a Deo certis actionum symbolis ac figuris varias res Judæis ob oculos ponere. c. XIII. XVI. 1-9. XIX. XXVII. XXVIII. 13. XXXII. XXXV. XLIII. 8. 9. LI. 60-64. (4) Tanta fidelitate & *παρηγορία* officio suo functus est, ut parem vix habeat. (5) Concioni- bus suis regum, principum, cleri & totius populi odium in se concitavit, & derisionem, insidias, execrationes, verbera, carceres & vincula durissima passus est. c. XI. 19. XVIII. 18. XX. 2. 10. XXVI. 10. 11. XXXVII. 15. 16. XXXVIII. 6. (6) Hierosolyma a Chaldæis expugnata, & libertate a Nabufar Adan Jeremiæ concessa, aut in Ægyptum migrandi, aut in Judæa manendi, ultimum elegit, c. XL. paulo post a Judæis in Ægyptum deductus, c. XLIII. 6. maluit autem in Judæa manere, sine dubio, ne reliquiis populi Judaici doctor & propheta de- esset, & quia in Chaldæa Ezechiel, Daniel & sacerdotum præcipui abductos erudierunt.

IV. ARGUMENTVM. Populo a Deo averso pœnas futuras, & imprimis malum, super Judæam per Babylonios venturum indicat; omnes, detecta impietate & exprobrata ingrata mente, ad veram pœnitentiam cohortatur; & in pœnitentium consolationem reditum ex LXX. annorum captivitate Babylonica, adventumque Messiæ promittit, & de regno ejus, sub œconomia N. T. stabiliendo testatur, inspersa sui temporis historia, quæ maximi est momenti.

V. SCOPVS. Ille est: Impios ad veram pœnitentiam perducere, & pios etiam in captivitate consolari, c. I. 10. & ad promovendam gloriam Dei

De nova documenta justitiæ, misericordiæ & veracitatis divinæ dare.

VI. VATICINIA DE JESV CHRISTO.
C. XXIII. 5. 6. XXX. 9. XXXI. 22. 31-34. XXXIII.
15. 16.

VII. ALLEGATIO IN N. T. C. VII. 11. Matth.
XXI. 13. Marc. XI. 17. Luc. XIX. 46. IX. 23. 24. 1 Cor. I. 31.
2 Cor. X. 17. XXXI. 15. Matth. II. 17. 18. v. 33. 34. Rom. XI. 27.
XXX. 31-34. Ebr. VIII. 8-12. X. 16. 17. XXXI. 33. & XXXII. 38.
2 Cor. VI. 18. L. 29. Apoc. XVIII. 6. LI. 6. Apoc. XVIII. 4.

VIII. ORDO VATICINIORVM. Ille est turbatus, f. vaticinia hoc libro contenta, temporum ordini non respondent; id quod & Psalmis accidit. Nam prophetis non curæ fuit, prophetiæ tempora conservare, quæ historiæ leges desiderant, sed scribere, utcunque audientibus & lecturis utile judicarent. Ordo vero vaticiniorum sequens est:

I. Ad tempora regis *Josia* pertinent. c. I-XII. XIV. XV. XVI. XLVII.

II. Ad tempora *Sallumi* f. *Joachasi* brevissima. XXII. 1-17.

III. Ad tempora *Jehojakimi*. c. XVII-XX. XXII. 18-23. XXIII. XLVI. 1-12. XVIII. LI. 1-58. XXVI. XXVII. XXXVI. XLV. XXXV.

IV. Ad tempora *Jechoniæ* brevissima. c. XIII. XXII. 24. sqq.

V. Ad tempora *Zedekia*. c. XXIV. LI. 59-64. XXVIII-XXXI. XLIX. 34. sqq. XXI. XXXII-XXXIV. XXXVII. XXXVIII. XXXIX. 15. sq. & tum demum v. 1-14.

VI. Post excidium *Hierosolymæ* c. XL-XLIV. XLVI. 13. &c. cap. LII. est appendix historica, ad Threnos eo melius intelligendos, vel a propheta *Jeremia*, vel ab *Efra*, ex libris *Chronicorum* & *Regum* addita.

IX. PARTITIO. Dividitur a quibusdam hæc prophetia in V. partes.

Prima continet conciones, prophetias & historias, Judæos concernentes. c. I-XXXVI.

Secunda complementum prophetiarum quarundam in captivitatis Babylonicae historia. c. XXXVII-XLIV.

Tertia verbum Dei ad Baruchum. c. XLV.

Quarta prophetias contra gentes. c. XLVI-LI.

Quinta repetitam excidii populi Judaici historiam. c. LII.

X. LOCA NOTATV PRÆCIPVE DIGNA.

C. I. 5. 7. 19. II. 12. 13. 19. III. 3. 12. 13. 22. 23. V. 3. 24. VI. 7. 16. IX. 5. 23. 24. X. 2. 6. 7. 23. 24. XIII. 23. XV. 16. 19. 20. XVII. 7-10. 14. 16. 17. XVIII. 7. 8. 18. XX. 7. 9. XXII. 11. XXIII. 5. 6. 21-24. 28. 29. XXIV. 7. XXVII. 5. XXIX. 7. 11-14. XXXI. 3. 9. 18-20. 25. 33. 34. XXXII. 17. 19. 38-41. XXXIII. 6-9. XLVIII. 10.

XI. LOCA DIFFICILIORA. C. III. 2. (coll. E. L. 1.)

X. 22. VII. 2. 22. X. 21. 23. XV. 1. (coll. Matth. XVIII. 19.) XVII. 1. XVIII. 20. sqq. XX. 14. sqq. XXV. 1. (coll. Dan. I. 1.) XXXI. 15. 22. 34. XLII. 10. (coll. Num. XXIII. 19.) XLIV. 3. 17-19. LI. 19.

XII. APPENDIX. *Liber Threnorum*, cujus notetur

I. *Inscriptio*. *Hebræis* vocatur a prima libri voce *איכה* *quomodo!* & ab argumento *קינוח* *lamentationes*, & *Græcis* *Θρηνοι*, *Threni*.

II. *Auctor*. *Jeremiam* hunc librum consignasse, liquet ex constanti ecclesiae Judaicae testimonio, ac convenientia, quam argumentum & stilus cum libro ejus prophetico habet.

III. *Stilus*. Ille est *gravis*, *metri legibus accommodatus*, *patheticus*, & *ad movendos in re tristi affectus exquisitissimus*. *Commata capitum* I-IV. numero elementorum hebraicorum respondent, & *tertium caput* literas hebraicas singulas

gulas *ter* usurpat, quod placuit Jeremiæ s. ob elegantiam, s. ut memoriæ consuleretur. Observandum quoque, in alphabetis omnibus, præterquam capite primo, duas literas Ψ & Ξ transponi.

IV. *Tempus scriptionis.* Probabiliter non ante, sed post excidium Hierosolymæ, & populi Judaici devastationem Threni scripti sunt.

V. *Argumentum.* Vide partitionem.

VI. *Scopus.* Populum Judaicum exulem ad submissam peccatorum agnitionem, veramque conversionem perducere; & pœnitentes consolari promissionibus, ne spem omnem abjiciant, sed Deum propitium fore confidant, & in ipsa morte ad precandum adspirent.

VII. *Singularia.* (1) Legitur hic liber publice a Judæis statò *supplicationum & jejunii die, 9. Julii*, quo utrumque templum exustum est. (2) Antiquitas his lamentationibus nihil habet gravius & numerosius.

VIII. *Additamentum in græca versione LXX. Interpretum.* Habet illa præfixam præfationem, quæ vero rejicienda est, quia non exstat in codicibus hebraicis.

IX. *Partitio.*

1.) Jeremias desolatam urbem, exulem populum, excisum templum lamentis deplorat, ac simul populum ad pœnitentiam & patientiam hortatur, piosque erigit. c. I-IV.

2.) Submissa supplicatione Deo commendat. c. V.

X. *Loca notatu præcipue digna.* C. III. 22-33. 37. 39-42. IV. 13.

XI. *Loca difficiliora.* C. III. 37. 38. IV. 22. V. 7. (coll. Ezech. XVIII. 20.)

MEM-

MEMBRUM III.

DE LIBRO EZECHIELIS.

I. INSCRIPTIO. *Hebræis* pro more in prophetarum libris recepto, a nomine auctoris inscribitur **יְחֶזְקֵאל** *Jecheskel*; *Græcis* $\epsilon\zeta\epsilon\chi\iota\eta\lambda$, & *Latinis* *Ezechiel*.

II. AUCTOR. Ille est *Ezechiel*, c. I. 1. cujus notetur

- 1.) *Significatio nominis.* **יְחֶזְקֵאל** vi compositionis denotat: *Prævalebit* f. *fortiter aget Deus*, personæque quam optime convenit. c. III. 8. 9.
- 2.) *Ortus.* Patre *Buso*, sacerdote f. *Aharonida* natus est. c. I. 3.
- 3.) *Officium.* Ut *Jeremias* gessit officium, & *sacerdotale* & *propheticum*, ad ultimum, a Deo immediate vocatus, c. I. & II. anno migrationis *Jechoniæ*, regnique *Zedekiæ* quinto, c. I. 1-3. & anno *trigesimo* regni *Nabopolassar*, patris *Nebucadnezaris*, a cujus primo anno *nova æra* instituta, & a *Chaldæis Astrologis* perpetuo observata est. Vid. *JOS. SCALIGER de emend. temp.* p. m. 217. & 218. & *ABRAH. CALOVII Annotata ad Ezech. I. 1.* Vaticinatus vero est annos XX. (c. I. 2. XL. 1.) & scripsit in *Chaldæa*, seu accuratius in illo *Mesopotamiæ tractu*, quem alluit fluvius *Chebar*, c. I. 3. tempore captivitatis *Babylonicæ*, in quam cum rege *Jochachino* A. M. 3408. abductus erat. c. I. 2. coll. 2 Reg. XXIV. 8. vid. p. 58. Coætaneos itaque ex prophetis habuit in *Chaldæa* f. *Babylonia* *Danielem*, in *Judæa* vero *Jeremiam*, & fortasse quoque *Zephaniam*. Documentum hoc est de amore & sapientia Dei,

Dei, nam prospiciente Deo falsis aliquid in im-
pia illa multitudine mansit, quo in officio con-
tineretur, saltem semen sanctum ad reductionem
ex captivitate promissa conservaretur, imo
eodem tempore, quo *Ezechiel* in *Chaldæa* pro-
pheticum munus obiit, *Jeremias Hierosolymis*
eodem functus est. Hac enim ratione non
modo Deus utrobique populo misero prospe-
xit, sed etiam ipsa harmonia vaticiniorum,
a duobus prophetis locis diversis editorum, di-
vinam illorum originem ac indubitam verita-
tem egregie confirmavit.

- 4.) *Singularia.* (1) Stilo utitur, inter *Jesaiæ* &
Jeremiæ stilum medio, *sublimi, scavi, puro,*
gravi, pulchris sententiis & illustribus compa-
rationibus referto, pathetico, anigmatibus &
symbolis pleno, & inde quoque paululum ob-
scuro. c. XX. 49. (2) Vocatur a Deo *svavi* illa ap-
pellatione: *Fili hominis.* c. II. 1. &c (3) Non solum
verbis, sed etiam variis rerum symbolis, c. IV. V.
VI. II. XII. XXIV. voluntatem Dei patefecit.
(4) Visionum ac paraboliarum varietate & copia
omnes antecedit prophetas. (5) Ex libro ejus
patet, quod a popularibus fannis exceptus,
risui expositus, dicerium factus, & a plerisque
contemptus, c. XXXIII. 30-32. ac catenis ligatus
fuerit. c. III. 25.

III. OCCASIO. Illam dedere pseudo-propheta
in Judæa & Chaldæa, qui pseudo-prophetiis suis
de ruina regni Babylonici, & liberatione Judæorum
proxime instante, pacificam deditioem, a Jere-
mia injunctam, populique universi pœnitentiam
impediebant. Jer. XXVIII. 1. sqq.

IV. ARGUMENTVM. Illud fere idem, quod
Jeremiæ; agit enim de captivitate Judæorum in-
stante,

stante, ejusque causis, de captivorum liberatione, & reditu, de judiciis gentibus quibusdam imminentibus, de Jesu Christo ejusque regno.

V. SCOPVS. Docere populum, Nebucadnezarrem & regnum Babylonicum esse Dei flagellum adversus Judæos, ideoque ut patienti ac pœnitenti animo subeundum, ita quoque determinato tempore dissolvendum, qua occasione simul passim evangelium de Messia ejusque regno prædicat; eoque pœnitentes consolatur.

VI. VATICINIA DE JESU CHRISTO.
c. XXXIV. 23. 24. XXXVII. 24.

VII. ALLEGATIO IN N. T. C. IX. 6. 1 Petr. IV. 17. XXXIII. 11. 2 Petr. III. 9. XXXVI. 20. 23. Rom. II. 24.

VIII. PARTITIO. Comprehendit capp. XLVIII.

I. Solennem Ezechielis vocationem & investituram. c. I-III.

II. Comminationes adversus populum Judaicum. c. IV-XXIV.

III. Prædictiones adversus gentes exteras. c. XXV-XXXII.

IV. Promissiones svaves pro pœnitentibus & piis. c. XXXIII-XLVIII.

IX. LOCA NOTATV PRÆCIPVE DIGNA.
c. III. 8. 9. 17-21. IX. 4. XI. 19. 20. XIII. 10. 18. 19. 22. XIV. 14. 21. XVI. 5. 49-51. 62. XVII. 19. XVIII. 4. 9. 20-24. XXII. 30. XXIV. 13. XXXIII. 4-16. 31. XXXIV. 4. 11. 12. 16. XXXVI. 25-27. XLIV. 28.

X. LOCA DIFFICILIORA. C. I. 5. &c. IV. 5. 12. 15. VIII. 18. c. XVIII. 4. (coll. Rom. V. 6.) 20. (coll. Exod. XX. 5.) 31. XX. 11. 25. 39. XXI. 2. (coll. Gen. XVIII. 25.) XXVI. 14. XXIX. 12. XXXIII. 19. XXXVIII-XLVII.

MEMBRUM IV.

DE LIBRO DANIELIS.

I. INSCRIPTIO. *Hebræis* est a nomine auctoris
 דַּנְיֵאל & *Græcis* Δανιηλ, *Daniel*.

II. AUCTOR. Ille est *Daniel*, c. VIII. 1. IX. 2.
 sqq. XII. 4. Matth. XXIV. 15. cujus notetur

1.) *Nomen*. In circumcissione ipsi impositum est
 nomen דַּנְיֵאל quod denotat, *Judex s. vindex*
meus (est) Deus, & sane propheta Deum vindicem
 sæpissime expertus est, nam Deus illius
 innocentiam asseruit, ac adversarios ejus propul-
 savit; a principe vero Eunuchorum appel-
 latus est בֶּלְטַשְׁצַר *Beltschazar*, c. I. 7. IV. 5.
 solenne enim orientalibus fuit, immutatione
 nominis imperium aliquod sibi in alium ad-
 ferere. Denotat autem hoc nomen, ex בֶּל, טַצַּר
 & אֶצֶר compositum Beli recondentem thesau-
 rum, adeoque *arcanorum Beli indicem & custo-*
dem. c. IV. 5. IX. 23.

2.) *Ortus*. Ex tribu *Judæ*, c. I. 6. & quidem
 e *stemmate regio s. principali* fuit oriundus, c. I.
 3. 6. coll. 2 Reg. XX. 18. diversus propterea ab
 illo, cujus Esra meminit. Esr. VIII. 2.

3.) *Abductio in captivitatem Babylonicam*. Illa
 contigit anno *Fojakimi*, regis *Judæ* quarto
inchoato, c. I. 1. 2. quæ prima fuit deportatio
Judæorum in captivitatem *Babylonicam*. vid.
 P. I. Sect. 1. Cap. 1. Membr. XIII. p. 58.

4.) *Officium*. Tempore captivitatis *Babylonicæ*
Monarcharum quorundam orientis *minister* fuit
supremus; c. II. 48. 49. VI. 1. 2. *antistes* s. præ-
fectus magorum s. *Philosophorum & Theologo-*

rum Chaldæorum, c. IV. 6. II. 48. & Dei propheta, nam nullo est destitutus revelationis divinæ genere, c. II. 19. VII. 1. VIII. 1. X. 4. 5. & prophetarum reliquis paria per omnia fecit, S. Scripturam enim dextre interpretatus est, c. IX. 2. Messiam prænuñciavit, c. VII. 13. 14. IX. 24-27. & gentium ecclesiæque fata prædixit, c. VI. XI. XII. qua propter a Christo nomine prophetæ insignitur. Matth. XXIV. 15. Idem factum deprehendimus a JOSEPHO *Antiqu. Jud. L. X. c. XII.* *Omnis Danieli inquit, eximia felicitas ut prophetæ excellentissimo contigit. - Libri ejus, quos conscriptos reliquit, etiam nunc apud nos leguntur, qui nobis certam fidem faciunt, quod Deus cum eo colloquia miscuerit, non solum enim futura prædixit, quemadmodum alii prophetæ, verum etiam tempus, quo eventura essent, præfinit.* Obiit itaque & reipublicæ administrationem, & munus propheticum, & quidem ultra annos LXX. vid. Dan. II. 1. X. 1. in quo elucet sapientia & bonitas Dei, castigationem populi sui eo dirigentis, ut ipse Deus populi Judaici in captivitatem abducti, & Messias gentibus profanis innotesceret. Ex dictis vero patet, (1) quod ex prophetis *συγχεως* habuerit *Jeremiam & Ezechielem*, fortasse quoque *Zephaniam*; (2) quod a Judæis absque justa causa ex censu prophetarum rejiciatur; (3) quod diversus sit ab illo, cujus mentio fit Neh. X. 7. nam Daniel propheta anno M. 3401. in Chaldæam translatus est, vid. p. 58. Nehemias vero A. M. 3560. Judæam adiit, vid. p. 74. & (4) quod quilibet in aula degens, & aulicas obiens functiones, veræ pietati deditus esse possit.

5.) *Singularia.* (1) Pulcher fuit *corpore*, c. I. 4. *pulchrior ingenio*, v. 20. & *pulcherrimus virtutibus*,

tibus, c. I. 8. II. 18. 20. V. 17. Ezech. XIV. 14.
 (2) *Sapientia* adeo eminebat, ut omnibus sui
 temporis palmam præripuerit Ezech. XXVIII. 3.
 (3) *Dignitas*, ad quam tempore captivitatis
 Babylonicæ euectus est, tanta fuit, quanta nulli
 Judæorum inter extraneos unquam obtigit,
 fuit enim *longa & summa*. (4) Tanta fuit
constantia, ut a vero Dei cultu nec minis, nec
 promissis, vel latum unguem dimoveri potuerit.
 c. VI. (5) Ob pietatem suam apud Deum
 magni fuit *pretii*, Ezech. XIV. 14. a cujus an-
 gelo vocatur *vir desideriorum*, c. IX. 2. X. 11.
 19. i. e. vir summe amabilis & desideratissimus,
 deliciæ generis humani. (6) LXX. illos annos,
 quibus populus Judaicus captivus fuit, & vixit,
 & supervixit. c. I. 1-3. X. 1. (7) *Christum* præ-
 figuravit *nomine, dono prophetico, sapientia,*
afflictionibus, liberatione & exaltatione. (8) *Ar-*
ticulum temporis adventus Messie, ex revelatione
 divina sibi facta, præ reliquis accurate designa-
 vit. (9) In vaticiniis suis quasi historicum agit,
 & circumstantias specialissimas futuri temporis
 haud aliter, quam præteritas enumerat. (10)
Historico utitur scribendi genere, satisque plano,
 licet quoque non pauca deprehendantur, quæ
 sua non carent difficultate, nam omnes fere
 prophetiæ suis implicitæ sunt difficultatibus, &
 argumentum, quod tractat, ex historia Persa-
 rum, Medorum, Judæorum, Græcorum, Ægy-
 ptiorum, ac Romanorum, collatisque summo-
 rum imperiorum annalibus lucem accipit,
 utitur quoque quibusdam vocibus inusitatis.
 Ipse Daniel quasdam prophetias plane perspe-
 ctas non habuit, c. VIII. 27. XII. 8. quibus vero ex
 parte insecutum tempus lucem accendit & cla-
 ras reddidit. Matth. XXIV. 5. conf. c. XII. 4. 9.

III. LINGVA. Scriptus est lingua partim *hebraica*, partim *chaldaica*, cujus ratio jam tradita est P. I. Sect. I. Num. VII. p. 6.

IV. ARGUMENTVM. Continet vitam & fata Danielis, regumque, quorum minister fuit, & prophetias, IV. visionibus comprehensas, de rebus gravissimis, nimirum de IV. regnis in mundo, illorumque serie, de regno Christi immobili, de tempore adventus ejus, de calamitatibus regnum Christi antecessuris, de resurrectione mortuorum, & ruina reipublicæ Judaicæ.

V. SCOPVS. Ille est (1) fidei vivæ, nihil nisi Deum solum habentis pro magno, & non modo omnem mundi gloriam, sed etiam ipsam vitam præ amore Dei flocci facientis, exempla, atque ideam quasi vivam, nobis repræsentare. (2) Illustribus exemplis docere bonitatem & providentiam Dei, præcipue erga pios, etiam dum variis tentantur malis. (3) Exhibere partim historiam, partim prophetiam regnorum, cum sui temporis, quibus innexum erat Judaicum, tum futuris temporibus erigendorum, & in iis delineare statum regni Christi & Anti-Christi. (4) Gentes ad cognitionem Dei & Messiae perducere. (5) Ecclesiam erudire de tempore adventus Christi, & calamitatibus, regnum Christi promissum antecessuris, eamque in fide vera confirmare. (6) Exponere tam angustias & calamitates, sub quibus ecclesia luctatura esset, quam liberationem, ipsi a Deo futuram, & simul ostendere, quod ecclesia Dei quidem prematur, sed non opprimatur, nec funditus deleatur, sed tristitia ejus a Deo in gaudia, & permissio in gloriam convertatur.

VI. VATICINIA DE JESV CHRISTO.
c. II. 44. VII. 13. 14. 27. IX. 24-27.

VII. AL-

VII. ALLEGATIO IN N. T. C. III. 23-25. Ebr. XI. 34. c. VII. 14. Luc. I. 33. Joh. XII. 34. c. IX. 26. 27. Matth. XXIV. 15. Marc. XIII. 14. c. XI. 36. 2 Theff. II. 4.

VIII. PARTITIO. Capp. XII. duas complectitur partes, quarum

I. *Prior* est historica. c. I-VI.

II. *Posterior* prophetica, ubi enarrantur prophetiæ, quæ Danieli obtigerunt,

1.) sub rege Belfazare, de IV. bestiis, ariete hircoque, c. VII. VIII.

2.) sub Dario Medo, de LXX. hebdomadibus, c. IX.

3.) sub Cyro, de conversionibus regnorum, Persica & Macedonica, ac de Epiphanica tempestate s. afflictione. c. X-XII.

IX. LOCA NOTATV PRÆCIPVE DIGNA.

c. I. 15. II. 21. III. 16-18. 27. 32. IV. 31-34. V. 17. VI. 10. 20. 22. VII. 10. IX. 8. 9. 13. 18. 20. 23. XII. 2. 3.

X. LOCA DIFFICILIORA. C. II. 1. (coll. c. I. 5.)

46. IV. 14. 24. V. 8. 10. (coll. v. 3.) 25. VII. 18. 23. sqq. VIII. 10. 14. IX. 24-27. X. 1. (coll. I. 21, VI. 28.) 13. XI. XII. 11. 12.

MEMBRVM V.

DE LIBRO HOSEÆ.

I. INSCRIPTIO. *Hebræis* הוֹשֵׁעַ *Hofchea*, *Græcis* Ὡσηε, & *Latinis* *Hoseas* inscribitur.

II. AVCTOR. *Hoseas*, c. I. 1. cuius notetur

1.) *Significatio nominis.* הוֹשֵׁעַ denotat *servatorem* s. *serva*.

2.) *Ortus.* Patrem habuit Beerî, c. I. 1. qui vero non confundendus est cum illo, cuius mentio 1 Paral. VI. germ. 6. injicitur, nam repugnat terminatio nominis & temporis series.

3.) *Officium.* Illud fuit propheticum, a Deo ipsi immediate impositum. c. I. 1. 2. Functus vero illo circiter LXXX. annos magna dexteritate & fide, sermonibus gravissimis & actionibus symbolicis, & quidem præcipue in terra *Israëlitica*, c. I. 4. sub *Ferobeamo II.* rege *Israëlis*, & *Usia*, *Jothamo*, *Achaso* & *Hiskia*, regibus *Jude*, c. I. 1. ex quo apparet, illum ex prophetis cœvos habuisse *Joëlem*, *Amosum*, *Jonam*, *Esaiam*, *Micham*, *Nabumum*, & forsasse quoque *Obdiam*. Quum itaque tempora fuerunt corruptissima, & magis magisque in deterius ruere cœperunt, Deus non unum, sed plures excitavit prophetas, & non tantum in tribu *Judæ*, sed etiam in regno *Israëlitico*, & quidem eum in finem, ut homines ex plurium prophetarum testimonio judicia, quæ denunciarunt, certissime suo tempore ventura esse, intelligerent, & plures ad mutationem mentis commoverentur, quem scopum Deus quoque procul dubio in quam plurimis obtinuit, & quidem non tantum in hominibus ætate prophetarum viventibus, sed etiam in posteris, impletione comminationum a prophetis prædictarum facta. conf. *Lev. XXVI. 31-33. 40. 41.*

4.) *Singularia.* (1) Stilo utitur *conciso*, *pathetico*, *adagiis* & *sententiis* referto, & propterea non *per omnia conspicuo*. (2) Jussu Dei conjugem fornicariam duxit, & quidem ad adumbrandam spirituales regni *Israëlitici* fornicationem.

III. OCCASIO. Illa liquet ex illis, quæ *1 Reg. XII. 28.* *2 Reg. XIV. 23-XV.* &c. *2 Paral. XXVI.* &c. referuntur.

IV. ARGUMENTVM. Turpissimam *Israëlis* idololatriam, aliaque peccata reprehendit, excidium

dium instans denunciatur, impiis e medio sublatis, reliquias servandas esse promittit, de CHRISTO egregia vaticinia edit, impios ad pœnitentiam feriosque ejus fructus hortatur, & pios lætis promissionibus consolatur.

V. **SCOPVS.** Populum Judaicum ad cultum idololatricum & pessima quæque delapsum, sub judiciorum divinorum comminatione, ac hypothetica gratiæ, in Messia fundatæ, promissione, ad feriam pœnitentiam adducere, fidelibusque salutarem cognitionem CHRISTI, servatoris mundi, tradere.

VI. **VATICINIA DE JESV CHRISTO.**
c. III. 5. XIII. 14.

VII. **ALLEGATIO IN N. T.** C. I. 10. Rom. IX. 26. c. II. 23. Rom. IX. 25. 1 Petr. II. 10. c. XI. 1. Matth. II. 15. c. XIII. 13. 1 Cor. XV. 55.

VIII. **PARTITIO.** Complectitur capp. XIV.

I. *Conciones typicas & figuratas*, quibus & populi corruptio, & pœnæ imminentes, divinæque promissiones explicantur. c. I-III.

II. *Apertas & simplices*, quæ rursus sunt

1.) *Legales*, morbum exponentes. c. IV-X.

2.) *Evangelicæ*, remedium exhibentes. c. XI-XIV.

IX. **LOCA NOTATV PRÆCIPVE DIGNA.**

c. I. 10. II. 1. 2. 8. 14. 19-22. IV. 1-4. II. VI. 1-4. 6. VII. 13-16. VIII. 12. IX. 12. X. 12. XI. 7-9. XII. 4. 5. XIII. 6. 9. XIV. 3. 10.

X. **LOCA DIFFICILIORA.** C. I. 2. III. 4. IV. 8. 15.

(coll. Deut. VI. 13.) V. 6. (coll. Matth. VII. 7.) 15. VI. 6. 7. VIII. 4. (coll. Rom. XIII. 1.) XI. 9.

MEMBRUM VI.
DE LIBRO JOELIS.

I. INSCRIPTIO. *Hebræis* appellatur יוֹאֵל & *Græcis* Ἰωηλ, *Joel*.

II. AUCTOR. Ille est *Joel*, c. I. 1. cujus notetur

- 1.) *Significatio nominis.* יוֹאֵל a radice יָאָל voluit, probabiliter derivandum, *volentem s. desiderium* denotat.
- 2.) *Ortus.* Filius fuit *Petbuelis*, & proinde diversus ab illis, qui eodem nomine 1 Paral. VII. germ. 36. 1 Sam. VIII. 2. & 1 Paral. XII. germ. 38. XXIX. 12. veniunt.
- 3.) *Officium s. munus.* Gessit officium *propheticum*, sibi a Deo immediate demandatum, c. I. 1. & quidem in *Judæa*, c. I. 13. II. 15. 17. 23. III. 23-25. probabiliter regnante *Usia*, paulo ante *Amosum*, nam (1) inter hostes *Judæorum* *Ægyptii* & *Idumæi* tantum occurrunt, *Affyriorum* vero & *Chaldæorum* mentio nulla. (2) Illo tempore sacra adhuc suo stabant ordine c. II. 15-17. (3) Eadem exprobrat crimina *Tyriis*, *Sidoniiis*, *Idumæis*, quæ *Amosus*, & simile iis denunciatur atque iudicium. c. III. 2-7. coll. *Am.* I. 9-11. (4) Quam instantem *Joel* *Judæis* prædixit calamitatem famis & sterilitatis, c. I. *Amosus* demonstrat, *Israelitas* modo pressisse, & adhuc premere. c. IV. 6. 7. 9-11. (5) *Amos* suam prophetiam ea fere sententia incipit, *Am.* I. 2. qua *Joel* suam claudit. *Joel* III. 21. Adjunxit itaque *Deus* hunc testem *Amoso*, in primis in terra *Israelitica* concionanti, & quidem, ut utriusque redargutionibus ac vaticiniis majorem auctoritatem concii-

conciliaret, & univcrsum populum, jam in duo regna divisum, de voluntate sua instrueret.

- 4.) *Singularia.* (1) *Placidi & moderati* fuit *spiritus*, & non acerbis ejusmodi, ac ceteri prophetæ, increpationibus & invektivis, quam querelis potius, precibus & suavissimis promissionibus blandisque verbis auditores suos ad pœnitentiam vitæque integritatem perducere allaboravit. (2) *Stilo* utitur *schematico & figurato*, *patheticisque excitationibus referto*. (3) *Vaticinium* ejus, quod exstat c. III. 1. *primum est testimonium*, quod Petrus in prima sua concione post effusionem Spiritus Sancti habita, urget. Act. II. 16.

III. OCCASIO. Quatuor specierum insecta, omne viride depascentia, terram Judaicam invaserant; cum vero hæc diræ famis, & cladis per Chaldæos inferendæ ob civium corruptum statum, jussu divino prænuncia & prodromi essent, *Joel* *populum Judaicum* a Deo aversum ad *veram pœnitentiam* cohortatur, ut quævis mala, alias ipsi infligenda, effugeret.

IV. ARGUMENTVM. Vide partitionem.

V. SCOPVS. Ille est, *populum Judaicum* indictis malis imminentibus, & conferendis sub conditione veræ pœnitentiæ bonis, ad seriam pœnitentiam, inspersis ubique patheticis excitationibus, cohortari, eundemque de bonis Messia, & statu felicissimo N. T. certiolem facere, ac simul fidem piorum in Messiam confirmare, & calamitatem hostibus Judæorum imminentem indicare.

VI. VATICINIUM DE JESV CHRISTO.

c. III. 1. 2. 5.

H 5

VII. AL-

VII. ALLEGATIO IN N. T. C. III. 1-5. Act. II.
16-20. Rom. X. 13.

VIII. PARTITIO. Continet capp. III.

I. *Descriptionem* famis & siccitatis terræ Judaicæ
imminentis, ut prænunciæ diei Domini, cum
adhortatione ad pœnitentiam. c. I-II. 1-17.

II. *Promissiones* fidelibus factas

1.) Corporales s. temporales. v. 18-fin.

2.) Spirituales. III. 1-5.

III. *Denunciationem* iudicii divini adversus gentes.
v. 6-fin.

IX. LOCA NOTATV PRÆCIPVE DIGNA.
c. II. 12-14. 23-26. III. 1. 2. 5.

X. LOCA DIFFICILIORA. C. II. 14. III. 1. 3. 4. 7.
17. 19.

MEMBRVM VII.

DE LIBRO AMOSI.

I. INSCRIPTIO. A nomine auctoris *Hebræis*
אֲמוֹס & *Græcis* Ἄμωσ, *Amos* inscribitur.

II. AVCTOR. Ille est *Amos*, c. I. I. VII. 1-5.
7. 8. VIII. 1. 2. IX. 1. 3. cujus notetur

1.) *Significatio nominis.* אֲמוֹס *onerosum* s. *onera-*
tum denotat, quod nomen huic prophetæ ap-
prime convenit, nam onustus fuit gravibus
comminationibus, totus ejus liber est concio
pœnitentiæ, accusans peccata, & comminans
pœnas horrendas

2.) *Pater.* Illius *Amos* non meminit, nam illi,
quorum origo tenuis, & memoria genitorum
ignobilis, patris nomen silentio premere sole-
bant.

3.) *Patria.* *Thekoa*, sita in tribu *Jude.* c. I. 1.
coll. 2 Par. XI. 6. XX. 20. 1 Macc. IX. 33.

4.) *Offi-*

4.) *Officium s. munus.* Deficientibus doctoribus ordinariis, qui officio satisfacerent, *Amosus* propheta a Deo immediate constitutus est, c. VII. 15. 12. Perhibet quidem, c. VII. 14. se non esse prophetam, sed hoc certa tantum ratione negat, sensus est: *Non propheta ego, qualis nunc existo, olim fui.* Officio autem prophetico, summa fidelitate & zelo vere divino, præcipue inter *Israelitas* functus est, c. VII. 12. 13. c. I. 1. III. 1. IV. 1. V. 1. 2. & quidem sub *Ferobeamo II.* rege *Israelis*, & *Usia*, rege *Judæ.* c. I. 1. ex quo apparet, coævus illum ex prophetis habuisse *Hoseam*, *Jonam* & probabiliter quoque *Joelem.*

5.) *Singularia.* (1) Pecorum fuit pastor, & quidem pauperculus, nam fructibus passim obviis vitam sustinuit suam, quod fecerunt illi, quorum conditio angusta. conf. 1 Cor. I. 26-28. (2) Expers fuit bonarum literarum & propheticæ institutionis. c. VII. 14. (3) Stilo utitur humili, plano, puro, acri, variis figurarum picturis ornato, & affectuum pleno.

III. OCCASIO. Hanc dedit afflictio, *Judæis* a vicinis gentibus illata, c. I. & felicissimus rerum utriusque regni status sub *Ferobeamo* & *Usia*, 2 Reg. XIV. 23-28. 2 Par. XXVI. 6-15. quo vero omnes fere contra scopum divinum, ad securitatem carnalem, omniaque inde promanantia scelera, & imprimis ad idololatriam, inhumanitatem & luxuriam abusi sunt. c. II. 6. III. 10. IV. 1. 4. 5. VI. 1-8. VIII. 4.

IV. ARGUMENTVM. Peccata regis, optimatum, sacerdotum & populi commemorat, destructionem regni & sacerdotii comminatur, ad pœnitentiam hortatur, interitum vicinarum gentium annunciat, & de gratia Novi Testamenti vaticinia edit.

V. Sco-

V. SCOPVS. Ille est, populum Judaicum de interitu vicinarum gentium certiolem facere, securos Israelitas saltem quosdam pœnarum denunciatione excitare, & ad veram pœnitentiam adducere, pœnitentesque promissione de solutione futuræ captivitatis, & adventu Messiaë erigere.

VI. VATICINIUM DE JESV CHRISTO.
C. IX. II.

VII. ALLEGATIO IN N. T. C. V. 25. 26. Act.
VII. 42. 43. C. IX. II. Act. XV. 16.

VIII. PARTITIO. Complectitur liber Amosi
capp. IX. conciones

I. *Simplices* seu puras, & quidem

1.) In ecclesiæ *hostes*, gentesque vicinas. c. I.

II. 1-3.

2.) In ecclesiæ cives.

(a) Judam, v. 4. 5.

(b) Israelem, adversus quem oratio

prima, c. II. 6-fin.

secunda, c. III.

tertia, c. IV.

quarta. c. V. & VI.

II. *Figuratas*, & quidem

1.) *Comminatorias*, quarum

prima, c. VII.

secunda, c. VIII.

tertia. c. IX. 1-10.

2.) *Consolatoriam*. v. 11-fin.

IX. LOCA NOTATV PRÆCIPVE DIGNA.

C. IV. 6. 7. 12. V. 10. 21-24. VIII. 11. 12.

X. LOCA DIFFICILIORA. C. III. 6. 7. V. 8. 13.

26. VI. 6. VIII. 14. IX. 13. 15.

MEM-

MEMBRVM VIII.
DE LIBRO OBADIÆ.

I. INSCRIPTIO. *Hebræis* vocatur עֹבַדְיָה *Obadia*, *Græcis* οβδῆς, & *Latinis* *Obadia*.

II. AVCTOR. *Obadias*, c. I. i. cujus notetur

1.) *Significatio nominis.* עֹבַדְיָה ex עֹבֵד & יָהָּ compositum, *servum s. operarium Dei* significat.

2.) *Ortus.* Ille nobis ignotus est.

3.) *Officium.* Propheta a Deo immediate constitutus, vaticinatus non tantum est in *Palæstina* inter *Judeos*, sed & contra *Edomitas*, tempore probabiliter *Achasi*, regis *Judæ*, v. I. 10-19. diversus itaque ab illis, quorum mentio injicitur. 1 Reg. XVIII. 3. 1 Par. III. 21. VIII. (germ.) 3. 2 Par. XVII. 7. XXXIV. 12.

III. OBJECTVM VATICINII. *Idumæi*, five gens ab *Esavo* orta, *Israëli* admodum inimica. v. 1.

IV. OCCASIO. *Syriæ* rex *Rezin*, & *Pekah*, rex *Israëlis* consilium inierant de excindendo & partiendo inter se regno *Judæ*, Es. VII. 4-6. ac, fuso *Achasi* exercitu, *Idumæi* hostibus *Judæorum* se junxerant, & a meridionali parte *Judæam* invaserant. 2 Paral. XXVIII. 6-17. coll. *Obad.* v. 10-14. Ne vero *Judæi* hoc facto vel prorsus a fide deficerent, vel saltem debilitarentur, *Obadia* in solatium *Judæorum* ostendit, etiamsi *Idumæi* nunc feliciter agerent, illos tamen brevi perituros.

V. ARGUMENTVM. *Idumæis* tum ob fastum, tum propter illata *Israëlitis* afflictis mala excidium denunciat, & populo *Judaico* restitutionem & felicitatem

licitatem, regnique Christi inter Judæos instaurationem, & inter omnes gentes propagationem promittit. Convenit itaque hæc prophetia cum Jer. XLIX. Ezech. XXV. & XXXV. Jef. XXXIV.

VI. SCOPVS. Ille est, populum Dei, Idumæorum insultatione prostratum, erigere.

VII. VATICINIVM DE JESV CHRISTO.
v. 21.

VIII. ALLEGATIO IN N T. v. s. 1 Cor. I. 19.

IX. PARTITIO. Constat parte
I. *Legali*, ad Idumæos directa. v. 1-16.
II. *Evangelica*. 17-fin.

X. LOCA NOTATV PRÆCIPVE DIGNA.
v. 7. 15. 17.

XI. LOCA DIFFICILIORA. v. 4. 16. 17. 21.

MEMBRVM IX.

DE LIBRO JONÆ.

I. INSCRIPTIO. A nomine auctoris *Hebræis* inscribitur יֹנָתָן *Jona*, & *Græcis Iovias*.

I. AVCTOR. *Jona*, c. I. 1. cujus notetur
1.) *Significatio nominis*. יֹנָתָן a יָנָה derivatum, columbam denotat.
2.) *Ortus*. Patrem habuit *Amittai*, *Zabulonitam*, ex *Gath Chepher*, in *Galilæa* sita, c. I. 1. 2 Reg. XIV. 25. Jos. XIX. 13. quo refellitur dictum *Pharisæorum* Joh. VII. 52.
3.) *Officium*. Officio *prophético* a Deo immediate admotus, 2 R. XIV. 25. Jon. I. 1. illo functus est in regno *Israelitico*, 2 Reg. XIV. 25. & *Affyriaco*, & in eo speciatim in sede regia *Ninive*, c. I. 2. &c. imperante

rante *Ferobeamo II.* & fortasse jam paulo ante sub *Joaso* ejus patre, ac probabiliter Assyriaci regni sceptrum tenente Phul. 2 Reg. XV. 8-19. 1 Paral. VI (germ.) 26. Ex quo constat, illum ex prophetis coævus habuisse *Amosum, Jesaiam, Hoseam & Micham.* Ablegavit vero Deus Jonam ad Ninivitas, (1) ut Ninivitæ idololatriæ, libidinibus, aliisque sceleribus dediti resipiscerent; (2) ut populum Judaicum convinceret, quod gentibus profanis sit peior, siquidem tot prophetas, & tot eorum conciones frustra audivisset, Ninivitæ vero ad unius prophetæ unicam concionem pœnitentiam egissent; Matth. XII. 41. (3) ostendere, se non immerito Assyriis uti in ulciscenda Israelitarum impietate & inobedientia, qui se meliores quam Israelitæ hactenus præbuisserent; & (4) indicare, quid olim futurum sit, si verbum Dei ab Israelitis rejiceretur. Act. XIII. 46.

- 4.) *Singularia.* (1) Insignis JESU CHRISTI fuit typus, & quidem respectu *mortis*, quæ erat *voluntaria, vicaria & salutifera, sepultura, resurrectionis & subsequenter præconii pœnitentiæ & Evangelii.* Matth. XII. 39-41. XVI. 4. Luc. XI. 29-32. (2) Ante & post præconium pœnitentiæ humani aliquid passus est. c. I. 3. IV. 1. 3. 8. (3) Stilo utitur *historico & plano.*

III. OCCASIO. *Impia vita Ninivitarum, & imminens illis excidium.*

IV. ARGUMENTVM. Jonas exponit pœnitentiam Ninivitarum ad suum præconium, una cum antecedentibus & consequentibus.

V. SCOPVS. (1) Luculentissimo exemplo demonstrare, quod Deus non delectetur morte peccatorum, sed salutis illorum cupidus sit, quod nihil inter-

intermittat, quod ad hunc finem obtinendum aptum est, quod illis, qui veram pœnitentiam agunt, omnia peccata remittat, & proinde mutatio mentis judicia divina dispellat, & quod pii quandoque de recta via aberrent, & sanctitas illorum propterea imperfecta sit; & (2) Judæos ad æmulationem provocare, nimirum, ut Ninivitarum exemplo excitati, matura & seria pœnitentia imminentem averterent cladem. Matth. XII. 41.

VI. ALLEGATIO IN N. T. C. II. 1. Matth. XII 40. XVI. 4. Luc. XI. 29. 30. I Cor. XV. 4. C. III. 5. Matth. XII 41. Luc. XI. 32.

VII. PARTITIO. Capp. IV. describitur.

I. Vocatio *prior*, ubi

1.) Vocatio Dei. c. I. 1. 2.

2.) Jonæ detrectatio cum pœna & liberatione. v. 3-10. & c. II.

II. Vocatio *posterior*, ubi

1.) Dei vocatio. c. III. 1. 2.

2.) Jonæ habita concio. v. 3. 4.

3.) Effectus, qui dispar erat,

(a) Felix, respectu Ninivitarum. v. 5.

(b) Infelix, respectu Jonæ murmurantis. c. IV.

VIII. LOCA NOTATV PRÆCIPVE DIGNA. c. III. 5-10. IV. 2. 10. 11.

IX. LOCA DIFFICILIORA. C. I. 3. II. 1. 7. IV. 6. 11.

MEMBRVM X.

DE LIBRO MICHÆ.

I. INSCRIPTIO. A nomine auctoris *Hebræis* appellatur מִיכָה *Micha*, & *Græcis* Μιχαίας, *Michaias*,

II. Av-

- II. AUCTOR. *Micha*, cujus notetur
- 1.) *Significatio nominis.* מִיכָה *quis sicut Dominus*, significat.
 - 2.) *Patria.* *Marescha*, c. I. 1. urbs in tribu *Judæ* sita. *Jos.* XV. 44. 21. 2 *Par.* XI. 8. Diverfus itaque est a *Micha* illo *Ephrataeo*. *Jud.* XVII. 1. sqq.
 - 3.) *Officium.* Propheta a Deo immediate constitutus, c. I. 1. 2. illo suo officio, longo annorum tractu, nimirum XL. circiter annos, functus est in regno *Israelitico & Judaico*, c. I. 1. 5. III. 1. imperantibus *Jothamo*, *Achaso & Hiskia*, regibus *Judæ*. c. I. 1. Diverfum itaque esse a *Micha* illo, cujus mentio 1 *Reg.* XXII. 8 &c. injicitur, & ex prophetis coætaneos habuisse *Jesaiam*, *Hoseam*, *Joel* & *Amosum*, certum est. v. p. 57.
 - 4.) *Singularia.* (1) Stilo utitur alto, & ad elegantiam *Jesaiæ* dictionis proxime accedente. (2) Harmonia *Michæ* & *Jesaiæ* evidentior est quam reliquorum prophetarum. conf. *Jes.* II. & *Mich.* IV. 1. (3) Designavit urbem, in qua *Messias* nasciturus esset. c. V. 1. (4) Omnium clarissime vastationem *Samariæ* & *Hierosolymæ* c. I. 1. sqq. c. III. 12. denunciat.
- III. OBJECTVM VATICINII. *Samaria & Hierosolyma*, c. I. 1. sqq. i. e. tribus *Judæ* & X. tribus *Israelis*.
- IV. OCCASIO. Vide 2 *Reg.* XV-XIX. 2 *Par.* XXVI-XXXI. *Jes.* XXXVI-XXXVIII.
- V. ARGUMENTVM. *Judæis* ob peccata gravissima excidium minatur, *Israelitarum* proceres & pseudo-prophetas severe & pathetice increpat,

pat, & Hierosolymæ restorationem, Christique adventum promittit; brevibus: legem & evangelium, minas & promissiones proponit.

VI. SCOPVS. Ille est, impios per conciones legales, & ex parte evangelicas ad seriam pœnitentiam adducere; (quem finem Deus quoque in multis obtinuit, conf. Jer. XXVI, 18. 19.) Deum vero vere colentes consolari, eosdemque admonere, ingruentem captivitatem æquo animo perferre, eiusque immutationem & finem, ex promisso Messiaë adventu certo sperare.

VII. VATICINIA DE JESV CHRISTO.
C. II. 13. IV. I. 2. 8. V. I.

VIII. ALLEGATIO IN N. T. C. V. I. Matth. II. 5. 6. Joh. VII. 42. VII. 6. Matth. X. 21. 35. 36. v. 20. Luc. I. 73.

IX. PARTITIO. Capp. VI. continentur partes IV. quarum pars

Prima gravem exprobrationem scelerum principum, pseudo-prophetarum & populi, ac denunciationem judiciorum divinatorum continet. c. I-III.

Secunda evangelicas tradit promissiones de Messia, ejus regno & beneficiis. c. IV. V.

Tertia disceptationem Dei sistit cum populo hypocritico. c. VI.

Quarta consolationem exhibet. c. VII.

X. LOCA NOTATV PRÆCIPVE DIGNA.
C. II. 1. 7. 11. 13. III. 5. 8. IV. 5. 12. V. 2. 3. VI. 3. 7. 8. VII. 1. 2. 4. 6. 9. 17-19.

XI. LOCA DIFFICILIORA. C. IV. 3. 4. 8. V. 2. (coll. Matth. II. 6.) VII. 5. (coll. I Cor. XIII. 7.)

MEMBRUM XI.

DE LIBRO NAHUMI.

I INSCRIPTIO. A nomine auctoris *Hebræis* inscribitur נַחֻם *Nachum*, *Græcis* Ναῦμ, & *Latinis* *Nabum*.

II. AUCTOR. *Nabum*, c. I. i. cujus notetur

1.) *Significatio nominis.* נַחֻם *consolatorem* denotat, & revera conciones hujus prophetæ ad *consolationem populi Israelitici* scriptæ sunt.

2.) *Ortus.* *Elkoschæus* sive *Elkoschita* fuit, c. I. 1. quo probabiliter patria indicatur, nam testatur *HIERON. de loc. hebr.* T. III. Opp. p. m. 184. suo tempore viculum in Galilæa fuisse *Elcese* appellatum; accedit, quod *Micha* non a familia, sed a patria *Moraschtites* dicatur. vid. p. 129.

3.) *Officium.* *Propheticum* obiit, & quidem probabiliter post *Jonam*, ad cujus prophetiæ cap. IV. 2. alludere videtur c. I. 3. sub imperio *Hiskie*, post abductionem X. tribuum *Israelis* in *Affyriam*; & si hoc verum, *Jesaiæ* στυχερονος fuit. vid. p. 58. & p. 101. n. 3.

4.) *Singularia.* (1) *Stilo* utitur *conciso*, *gravi*, *sublimi*, & ob frequentem personarum mutationem intellectu difficili. (2) *Magnus consensus* est inter prophetiam *Jesaiæ* & *Nahumi*, & quidem non tantum secundum materiam, sed etiam secundum phrasas & stilum. c. I. 13. coll. *Jes.* X. 27. c. II. 1. coll. *Jes.* LII. 7. (3) *Regno* *Affyriaco* instar fecialis divini fuit.

III. OBJECTUM VATICINII. *Ninive*, caput & metropolis regni *Affyriaci*. c. I. 1.

IV. OCCASIO. Hanc præbuerunt *Affyriorum* in populum *Dei insultus*. Illi enim per præconium

nium Jonæ ad Deum conversi, fructus haud ita diu ferentes, ad pristina redierunt peccata, inprimis maxima mala in *Israelem & Judam* intulerant & in Judam illaturi erant, c. I. 9. 12. unde Deus pro sua bonitate illos iterum monuit, ut, si possibile esset, a gravissimis imminentibus malis tuti manerent.

V. ARGUMENTVM. Est hæc prophetia *onus Ninive*, c. I. i. i. e. verbum Dei contra Niniven prolatum, s. denunciatio interitus exercitus Assyriaci, vastationis urbis Ninive, & excidii regni Assyriaci; nam onus significat in libris prophetarum oracula onere interminatorio illos gravantia, ad quos directa sunt, s. sententiam pondere minarum gravem. Prophetia autem hæc Nahumi paulo post complementum suum nacta est, nam regnante Hiskia exercitus Assyriorum deletus, (2 Reg. XIX. 35.) & regnante Josia Ninive deleta, & regno Assyriaco finis impositus est.

VI. SCOPVS. Ille est, civibus regni Assyriaci, ejusque metropolis Ninive in pristina scelera relapsis, imo multo pejoribus, quam antea, factis, imminens excidium denunciare, eoque simul populo Dei, quem *Salmanasser* per deportationem X. tribuum in Assyriam afflixerat, & *Sennacherib* graviter afflictorus erat, (2 Reg. XVIII.) sive impertiri solatium, & ad fiduciam in Deo collocandam excitare.

VII. PARTITIO. Continet capp. III duas partes, quarum

I. *Prior* absolvitur descriptione Dei vindicis. c. I. 1-8.

II. *Posterior* continet annunciationem excidii Assyrii imminentis, una cum illius causa. v. 9-fin.

VIII. VA-

VIII. VATICINIUM DE JESU CHRISTO.

c. II. I.

IX. LOCA NOTATV PRÆCIPVE DIGNA.

C. I. 2. 3. 6. 7.

X. LOCA DIFFICILIORA. C. I. 4. 5. 9. II. 14. II.

I. 4. III. 4. 8. 16.

MEMBRVM XII.

DE LIBRO HABACVCI.

I. INSCRIPTIO. A nomine auctoris *Hebræis* inscribitur חַבְקֻק *Chabakkuk*, *Græcis* Ἀμβακκμ, & *Latinis* *Habacuc*.

II. AVCTOR. *Habacuc*, c. I. I. cujus notetur

1.) *Significatio nominis.* חַבְקֻק *amplexum* sive *amplexantem* significat, & prophetæ optime convenit, nam Judæos amplectitur & consolatur; orta vero inde est fabula Judæorum, quod fuerit filius Sunamitæ. 2 Reg. IV. 34.

2.) *Ortus.* De illo in S. Scriptura nihil memoriæ proditum est.

3.) *Officium.* Demandato sibi officio *prophético*, c. I. I. in *Judea* ante captivitatem *Babylonicam*, c. II. 20. functus est, regnante (ut Judæi autumant,) *Manassè*, quia propheta jura everfa deplorat, & instantem captivitatem *Babylonicam* prænunciat, c. I. 2. 3. 4. 6. coll. 2 Reg. XXI. aut secundum sententiam *VSSERII*, tempore *Jehojakimi*, qui urget c. I. 5. 6. & quod anno tertio regis *Jehojakimi* *Chaldæi* *Judæam* invaserint; quod si verum est, συγχεουσε habuit *Jeremiam* & *Zephaniam*. vid. p. 58.

4.) *Singularia.* (1) Stilo utitur puro, gravi, conciso, & ita attemperato, ut verba sensui respondeant. (2) De justitia per fidem consequenda præ aliis luculentissimum testimonium dedit, c. II. 4. quod dictum a Paulo in tribus epistolis allegatur. Vid. N. VII. p. 135.

III. OCCASIO. Rex Assyriæ X. tribus captivas abduxerat, regno Israelis misere extincto, instabat quoque ob civium corruptissimos mores terræ Judaicæ a prophetis prædicta vastatio. Hinc quisque fere piorum metuebat, quod si comminatio prædicta certo eveniret, facile fore, ut omnes inter idololatrias colliquefcerent, & Dei promissio de adventu Messiae evanesceret; quapropter Dei jussu Habacuc antecessorum vaticinium suo confirmat suffragio, promeritasque scelerum pœnas denunciat, ast ita, ut afflictæ fidei fulcra supponat, certumque faciat unumquemque piorum, everfione politiæ Judaicæ non obstante, divinas de Messia redemptore promissiones tutas factasque manfuras, & Chaldæos certo tempore interituros esse.

IV. ARGUMENTVM. Continet onus s. verbum Dei, aut sententiam gravem in Judæos impœniten-tes, & Chaldæos, eorum flagella, aliosque iis similes. Habacuc de sceleratissima vita Judæorum conquestus, iis everfionem per Chaldæos obventuram denunciat, (quam Jesaias jam ante prædixerat, 2 Reg. XX. 17. 18.) miseratus autem fortem populi Dei, etiam adversus hostes vindictam implorans, de adventu Christi & exitio Chaldæorum certior redditur, denique precibus ardentissimis prophetiam suam obfignat. Occasione itaque malorum, quæ in illa ætate prædicenda erant, progreditur ad vaticinium de gratia Christi, utpote ex qua, tanquam fonte præcipuo, prophetæ consolationis argumentum proferre solent. V. Sco-

V. **SCOPIVS.** Impios denunciatione justissimarum divinarum pœnarum ad feriam pœnitentiam adducere, & pios propter corruptionem seculi sui de imminentibus Dei judiciis sollicitos, promissione excidii Chaldæorum instantis & Messia venturi consolari, eosdemque ad perseverantiam in fide adhortari.

VI. **VATICINIUM DE JESV CHRISTO.**
C. II. 3. 14.

VII. **ALLEGATIO IN N. T.** C. I. 5. Act. XIII. 40.
c. II. 3. 2 Petr. III. 9. v. 4. Rom. I. 17. Gal. III. 11. Hebr. X. 38

VIII. **PARTITIO.** Constat

I. *Parte prosaica*, quæ dialogum Deum inter & prophetam fidelium nomine sistit, ubi

1.) Fidelium querela de extrema sui seculi corruptione. c. I. 1-4.

2.) Sententia Dei judicis de Chaldæorum adversus Judæos expeditione. v. 5-11.

3.) Fidelium preces & instantia, quomodo hæc cum Dei justitia consistere possint. v. 12-17.

4.) Divinum responsum solatii piorum, & instructionis plenum. c. II.

II. *Metrica*, quæ prophetæ canticum, quod antecedentia respicit, exhibet, in cœtibus publicis decantatum. Cap. III.

IX. **LOCA NOTATV PRÆCIPVE DIGNA.**
C. I. 12. 13. II. 1. 3. 4. 6. 14. 20. III. 2. 18. 19.

X. **LOCA DIFFICILIORA.** C. I. 8. 16. II. 11. 17. III.
3. 13. 14.

MEMBRUM XIII.

DE LIBRO ZEPHANIAE.

I. INSCRIPTIO. *Hebraeis* a nomine auctoris appellatur צפניה *Tsephanja*, *Græcis* Σοφονίας, & *Latinis* *Zephanius* & *Sophonias*.

II. AUCTOR. *Zephanius*, c. I. 1. cujus notetur

1.) *Significatio nominis*. צפניה *arcanorum Dei revelatorem* s. *secretum Domini*, aut *Deus se abscondidit*, denotat.

2.) *Ortus*. Natus est patre *Cuscho*, avo *Gedalja*, & proavo *Amarja*, & abavo *Chiskija*, c. I. 1. ex qua catenata majorum serie fati apparet, illum non ignobili fuisse genere, & diversum esse ab illis, quorum mentio injicitur 1 Par. VII. (germ.) 36. & 2 Reg. XXV. 28. coll. Jer. XXI. 1. XXIX. 25. 29. & XXXVII. 3.

3.) *Officium*. *Prophético officio* inter *Judeos* præcipue functus est, tempore *Josiae*, regis *Judæ*, c. I. 1. & quidem probabiliter *extremo*, post susceptam a *Josia* ecclesiæ reformationem, nam alias *Josias* non *Huldam*, 2 Reg. XXII. 14. sed *Zephaniam* consulisset, & *Zephanius* perverfam legis interpretationem taxare non potuisset, c. III. 4. 5. coll. 2 Reg. XXII. 8. 10. 11. imo *Zephanius* protervam populi a fœdere nuper renovato defectionem c. I. 6. notat, & residuum *Balis* arguit. c. I. 4. *Jeremiam* itaque & *Huldam*, ac fortasse quoque *Habacucum* σὺνχορὸν habuit. vid. p. 58.

III. OCCASIO. *Josias*, strenuus reformator, habuit paucos exempli sui imitatores, potius pluri viam impietatis, quam semel ingressi sunt, fortiter

fortiter institerunt, & multi Deum deserentes, mox ad pristina relapsi sunt vitia. 2 Reg. XXII. XXIII. 2 Par. XXXIV.

IV. ARGUMENTVM. Zephaniæ vitam Judæorum sceleratissimam revelat, devastationem illis imminentem denunciat, ad pœnitentiam eosdem excitat, hostes populi Dei interituros esse, prædicit, gentium vocationem prænunciat, piosque ad patientiam hortatur promissionibus de futuro statu Hierosolymæ felicissimo.

V. SCOPVS. Judæos impios & scelus per Josiam restauratum tam cito rumpentes, ad seriam pœnitentiam excitare, ac pios & fideles spe regni per Messiam restaurandi, ac undiquaque dilatandi, consolari.

VI. PARTITIO. Duabus absolvitur partibus, quarum

I. *Prior est legalis & epanorthotica, directa*

1.) Adversus *Judæos*, quibus Zephaniæ

(a) excidium denunciat, c. I.

(b) pœnitentiam svadet. c. II. 1-3.

2.) Adversus *gentes* populo Dei infestas. v. 4-fin.

3.) Adversus *Judæos*, quibus iterum imminens malum annunciat. c. III. 1-8.

II. *Posterior est evangelica & consolatoria. v. 9-fin.*

VII. LOCA NOTATV PRÆCIPVE DIGNA.

C. I. 12. II. 3. III. 5. 9. II. 12-17.

VIII. LOCA DIFFICILIORA. C. I. 3. 5. 9. II. 9.

III. 11.

MEMBRVM XIV.

DE LIBRO HAGGÆI.

I. INSCRIPTIO. A nomine auctoris *Hebræis* חַגַּגַּי *Chaggai*, *Græcis* Αγγαῖος, & *Latinis* Haggæus inscribitur.

II. AVCTOR. *Haggæus*, c. I. I. cujus notetur

- 1.) *Significatio nominis.* חַגַּגַּי a חַגַּגַּי derivatum, *letum & festivum* significat.
- 2.) *Ortus.* *Haggæus* illum silentio præterit.
- 3.) *Officium.* Prophetico functus est in Judæa anno secundo Darii Hytaspidis, & anno XV. post solutam captivitatem Babyloniam. c. I. 1. 3. 12. 13. Efr. V. 1. VI. 14. Vid. P. I. Sect. I. Cap. I. Membr. XVII. p. 70.
- 4.) *Singularia.* (1) Stilo utitur historico & plano. (2) Prædixit, quod adventus Messie proximus sit. c. II. 7.

III. OCCASIO. Post reditum in patriam Judæi fundamenta templi jecerunt. Efr. III. 10. Cyro autem deinde per bella occupato & extincto, & Artaxerxe s. Cambyse circumvento per Samaritanos ædificatio impediabatur. Efr. IV. 4-7. At Dario Hytaspidis filio regnum adepti Persicum, notum Deus fecit prophetis, velle se, ut in cœpto opere pergerent, siquidem constituisset, animo regis Darii cogitata, Judæis faventia, & hoc opus promotura, indere. Hagg. I. 13. II. 5. 6.

IV. OBJECTVM PERSONALE. Illud est

- I. In *genere*, universa reducis populi turba, quæ, ad ædificationem templi torpens, excitanda erat. c. I. 1. II. 3.

II. In

II. In specie, *Serubabel*, qui universam moderabatur rempublicam, & *Josua*, filius Jozadak, summus pontifex. c. II. 3. 5. Hi enim, *quavis culpa neglectæ hæctenus templi ædificationis in eis non esset*, ea tamen erant potestate, ut, si primi manum operi admoverent, universa multitudo facile sequeretur Dei jussa, & prophetæ monitis locum daret.

V. ARGUMENTVM. Haggæus ignaviam Judæorum in templo exstruendo corripit; ignaviam calamitatum, quas huc usque perpeffi essent, unicam esse causam ostendit, & ædificationem templi strenue urget, additis promissionibus temporalibus, & insperis vaticiniis augustissimis de Christo, secundi templi gloria, ejusque instante adventu & regno.

VI. SCOPVS. Ille est, instaurationem templi urgere, quem finem ut obtineat, (1) gratiosam Dei præsentiam auxiliumque promittit. (2) Judæos cogitantes, hoc templum non accessurum ad templi prioris gloriam, & propterea in illo ædificando remissos, certiores facit, gloriosius hoc templum præ priore esse futurum; Hagg. II. 4. 10. quod testimonium respicit adventum Messie instantem. conf. c. II. 7. 8. (3) Judæis ostendit, quod Deus illis huc usque ob neglectam templi ædificationem favorem suum denegaverit, & quod illis, post inceptam ædificationem, omnia bona largiter collocaturus sit. c. II. 19. 20.

VII. VATICINIA DE JESV CHRISTO.
c. II. 7. 8. 10.

VIII. ALLEGATIO IN N. T. c. II. 7. Ebr. XII. 26.

IX. PARTITIO. Absolvitur hic liber IV. visionibus s. concionibus, quarum

I. Anno

- I. Anno II. Darii, mense VI. die I. exprobratoria ob neglectam templi structuram. c. I-II. 1.
 II. Mense VII. die 21. promissoria, Messiam in istud templum venturum promittens. c. II. 2-10.
 III. Mense IX. die 24. epanorthotica ob hypocri-
 sin, & excitatoria cum promissione gratiæ. v.
 11-20
 IV. Eodem die consolatoria, Zorobabeli hostium destructionem & Messiæ ex Zorobabele oriundi, ejusque regni perpetuam conservationem pol-
 licita. c. II. 21-fin.
 X. LOCA NOTATV PRÆCIPVE DIGNA.
 C. I. 6. 10. II. 24.
 XI. LOCA DIFFICILIORA. C. I. 6. II. 6. 7. 8. 10.

MEMBRVM XV.

DE LIBRO ZACHARIÆ.

- I. INSCRIPTIO. A nomine auctoris *Hebræis* appellatur זְכַרְיָה *Secharja*, *Græcis Zacharias*, & *Latinis Zacharias*.
- II. AVCTOR. *Zacharias*, c. I. 1. cujus notetur
- 1.) *Significatio nominis.* זְכַרְיָה recordationem s. recordatorem Domini, aut Dominus recordabitur, denotat.
 - 2.) *Ortus.* Filius fuit Berechiæ & nepos Iddonis, c. I. 1. qua addita genealogia distinguitur (1) ab illo, cujus fit mentio 2 Par. XXIV. 20-22. (2) ab illo, qui tempore Usiæ vixit, 2 Paral. XXVI. 5. (3) ab illo, cujus mentio fit Es. VIII. 2. Minime autem hæc genealogia, quam Zacharias nobis tradit, pugnat cum illa, quæ cap. V. 1. VI. 14. libri Esræ exhibetur, & Zachariam filium Iddonis affirmat, nam apud Hebræos

Hebræos non insolitum quid est, generationes sæpe mediatas, omisso intermedio gradu, recensere, & præterea ab illis omnes, qui in gradibus descendentibus sunt, filii vocantur.

3.) *Officium. Sacerdotali*, Neh. XII. 16. & prophetico, c. I. 1. 6. functus est, & quidem eodem, quo Haggæus, secundo Darii anno, mense VIII. Zach. I. 1. quod a Deo eum in finem factum, ut populus concionibus Haggæi & Zachariæ eo magis crederet, conf. Deut. XVII. 6. quem finem quoque obtinuit. Esræ V. 1. 2. VI. 14. 15. Duobus itaque tantum mensibus Haggæo fuit posterior.

4.) *Singularia.* (1) Stilo utitur non æque ac *Jesaias* puro & nitido, sed temporum ac lingvæ genio respondente, & rebus, quas tractat, optime congruo, in visionibus enim abstrusus & sublimis, in promissionibus amabilis & in comminationibus gravis deprehenditur. (2) A figura ad rem ipsam ascendit figuris adumbratam, indidemque verba & phraseologias mutantur ad pingenda mysteria N. T. conf. c. VI. 12. 13. IV. 2.

III. OCCASIO. Quamvis Judæi, Haggæi præconio excitati, ad intermissam diu templi instaurationem reversi essent, tamen nonnulli, laboris & impensarum onus fugientes, adhuc oblocuti sunt, & de felici operis successu desperare jussurunt, c. VIII. 9. 10. 15. quapropter Deo placuit, Zachariam submittere, qui Haggæo succurreret, ut ex duorum testium ore de promisso Dei favore & auxilio confirmatior fieret populus.

IV. ARGUMENTVM. Zacharias Judæos ad pœnitentiam hortatur, revocando in animum, omnia illis per prophetas prædicta mala evenisse; Deum omnia obstacula, ædificationem templi & urbis

urbis impediencia, remoturum, & populo benignum se præbiturum esse, prænunciat, causas vastationis Judææ, per Chaldæos factæ, ob oculos ponit, ac simul Judæos monet, ne majores suos imitati, eandem pœnam cogèrentur subire; de instante adventu, morte & bonis Messia, ejusque regno & dilatazione illius augustissima & clarissima vaticinia edit, & excidium gentium ecclesiæ infestiarum indicat.

V. **SCOPIVS.** Judæos per gravissimas, quas perpeffi erant, afflictiones, non meliores factos, ad pœnitentiam revocare; ad instaurationem templi, remotis, quæ in animis hærebant, obstaculis, excitare, adversus tentationes afflictionesque imminentes munire, de Messia uberius instruere, in fide in Messiam confirmare, & expectationem illius augere.

VI. **VATICINIA DE JESV CHRISTO.**
c. IX. 9. II. XI. 12. 13. XII. 8. 10. XIII. 1. 7. XIV. 9.

VII. **ALLEGATIO IN N. T.** C. I. 3. Jac. IV. 8. c. III. 2. Judæ v. 9. IX. 9. Matth. XXI. 4. 5. Joh. XII. 15. c. XI. 12. 13. Matth. XXVII. 9. 10. XII. 10. Joh. XIX. 37. Apoc. I. 7. XIII. 7. Matth. XXVI. 31. Marc. XIV. 27.

VIII. **PARTITIO.** Pro concionum numero in varias dividitur pericopas, quarum

I. Adhortatoria ad pœnitentiam. c. I. 1-6.

II. Emblematica, quæ emblemata sistit novem. v. 7-VI. 1-fin.

III. Didactica de ceremonialibus & moralibus quibusdam. c. VII. VIII.

IV. Prophetica de Christo, ejusque regno & beneficiis. c. IX-XIV.

IX. **LOCA NOTATV PRÆCIPVE DIGNA.**
C. I. 3. 15. II. 5. 8. III. 1-7. IV. 6. 7. V. 3. 4. VIII. 6. 8. 17. 19. X. 1. XI. 16. 17. XII. 8. 10. XIII. 1.

X. **LOCA DIFFICILIORA.** C. IX. 11. 12. XI. 9. XII. 10.

MEM-

MEMBRUM XVI.

DE LIBRO MALACHIÆ.

I. INSCRIPTIO. A nomine auctoris *Hebræis* מְלָאכִי *Malachi*, *Græcis* *Μαλαχίας*, & *Latinis* *Malachias* inscribitur.

II. AUCTOR. *Malachias*, c. I. I. cujus notetur

1. *Significatio nominis.* מְלָאכִי *nuntii* s. *legati mei* significationem habet.

2.) *Ortus.* De illo, tacente *Malachia*, nil certi constat.

3.) *Officium.* *Prophético* a Deo admotus officio, eodem functus est in *Judæa* post captivitatem *Babylonicam*, & quidem post exstructum templum, probabiliter circa alterum *Nehemiæ* ex *Persia* in *Judæam* reditum, qui accidit A. M. 3574. v. p. 74. ejus ætate enim vitia illa, quæ *Malachias* perstringit, ecclesiam vastabant. Conf. *Mal.* II. 8. 11. coll. *Nehem.* XIII. 23. sqq. *Mal.* III. 8. 10. coll. *Neh.* XIII. 5-12. X. 38. sqq. *Mal.* I. 8. 11. 13. II. 8. coll. *Neh.* XIII. 15. imo ea corrigit, quæ structo jam templo peccabantur. *Mal.* I. 7. 10. III. 1. Integro itaque fere seculo *Malachias* posterior fuit *Haggæo* ac *Zacharia*, quatuor vero seculis *Christum* natum antegressus est.

4.) *Singularia.* (1) *Stilo* utitur nitido, conciso, ad aculeos in legentium animis relinquendos composito, argumento que scite attemperato. (2) Numerum prophetarum, qui ante *Christum* natum vixerunt, claudit, & inter omnes scriptores canonicos V. T. ultimus est, quapropter a *Judæis* prophetarum vocatur sigillum.

III. OCCASIO. *Judæi* exstructo jam templo, post *Zorobabelis* & *Josue* obitum, ex negligentia sacerdotum in pristinam prolabebantur impietatem, nec Deum nec ejus cultum magnificantes; ab *Efra* & *Nebe-*

Nebemia deinde castigati, vitia emendabant, ast non paulo post mortuo *Esra*, & *Nebemia* absente, eadem vitia recrudescabant. His verout obex poneretur, Deus *Malachiam* misit reformatorem, qui torpentes excitaret, & ad veram pœnitentiam provocaret.

IV. ARGUMENTVM. Malachias populi ingratum animum & impiam vitam, ac præcipue sacerdotum negligentiam & profanum animum vituperat; veram pietatem non in sacrificiis & ceremoniis, sed in reverentia nominis divini, & fraternis erga alios homines officiis sitam esse, docet; impiis, nisi resipiscerent, temporales & æternas pœnas minatur; piorum reliquias solatur; legis Mosaicæ observantiam commendat; & adventum Messiae ejusque præcursoris instantem prædicit.

V. SCOPVS. Reformatio sacerdotum & populi, & obsignatio prophetiarum V. T. usque ad tempus Messiae.

VI. VATICINIA DE JESV CHRISTO.
c. III. 1-3. IV. 2.

VII. ALLEGATIO IN N. T. C. I. 2, 3. Rom. IX. 13.
III. 1. Matth. XI. 10. Marc. I. 2. Luc. VII. 27. IV. 5. Matth. XI.
14. & XVII. 12. Marc. IX. 12. 13. v. 6. Luc. I. 17.

VIII. PARTITIO. Constat hic liber parte

I. Legali, quæ præmisso introitu præparatorio,
(c. I. 1-5.) expostulationem continet

1.) cum sacerdotibus, c. I. 6-II. 1-10,

2.) cum populo. c. II. 11-fin.

II. Evangelica. c. III. IV. Sive sistit nobis (1) accusationem populi ob neglectum studium honoris divini. c. I. II. (2) annunciationem adventus Domini. c. III. IV.

IX. LOCA NOTATV PRÆCIPVE DIGNA.
C. I. 6. II. 6. 7. 9. 10. III. 6. 9. 13-14. IV. 1. 2.

X. LOCA DIFFICILIORA. C. II. 15, 16. III. 2, 3. IV. 5. 6.

SECTIO

SECTIO II.

DE

LIBRIS APOCRYPHIS V. T.

QVI

IN CODICIBVS GRÆCIS, LATINIS ET
GERMANICIS EXSTANT.

I. DEFINITIO. Libri apocryphi V. T. sunt illi libri, qui quidem cum libris a Deo inspiratis in unum jam ab aliquot retro seculis, redacti sunt volumen, at a Deo non inspirati, neque ad normam fidei & morum ecclesiæ traditi sunt.

II. INDEX LIBRORVM APOCRYPHORVM. Sunt nobis libri apocryphi: Liber *Judithæ*, *Sapientie*, *Tobie*, *Sirachidis*, I. & II. *Maccabæorum*, *fragmenta Estheræ*, *additamenta Danielis*, quæ comprehendunt *historiam Susannæ*, *Belis & draconis Babelici*, *preces Azariæ*, *Canticum trium virorum & oratio Manassis*, quibus quidam codices adjunctos habent librum III. *Maccabæorum*, & III. & IV. *Esræ*. *Pontificii* quidem, quemadmodum multos in numerum sanctorum retulerunt, qui tamen neutiquam sancti fuerunt, ita quoque recensitos libros canonicis annumerant, exceptis tantum *precibus Manassis*, *libro III. Maccabæorum*, *ac III. & IV. Esræ*. Vid. *Conc. Trident. Sess. IV.* Quod autem libri illi, quorum mentio est facta, canonicis non adnumerandi sint, variæ evincunt rationes, quarum præcipuas enumerare necessarium ducimus.

I.) Ecclesia Judaica hos libros in canonem non recepit, nam in codice Hebraico non exstant,

K

& JO-

& JOSEPHVS, insignis ille ecclesiæ Judaicæ doctor, qui seculo a Christo nato primo floruit, *L. I. contra Apionem, p. m. 1036. Infiniti libri, inquit, non sunt apud nos discordantes & sibimet repugnantes, sed solummodo duo & viginti libri, habentes temporis totius conscriptionem, quorum iusta fides admittitur. - - Ab Artaxerxe vero usque ad nostrum tempus singula quidem conscripta, non tamen priori simili fide sunt habita, - tanto namque seculo jam præterito, neque adjicere quicquam aliquis, nec auferre, nec transformare præsumsit; omnibus enim insertum est mox a prima generatione Judæis, hæc divina dogmata nominare, & in his utique permanere, & propterea, si oporteat, mori libenter. Jam itaque multi captivorum frequenter tormentis affecti sunt, & mortes varias in theatris sustinere, ne ullum verbum contra leges admitterent, aut conscriptiones avitas violarent.*

Refert hoc egregium Josephi testimonium EVSEBIVS H. E. L. III. c. IX. & X. *In priore, inquit, librorum contra Apionem numerum sacrorum voluminum, quibus vetus testamentum constat, quenam sint apud Hebræos extra omnem controversiam posita, utpote a majoribus tradita, declarat his verbis: Apud nos nequaquam innumerabilis est librorum multitudo dissentientium, & inter se pugnantium, sed duo duntaxat & viginti libri, totius præteriti temporis historiam complectentes, qui merito creduntur divini. x. 7. λ. Et quod sic dicti libri apocryphi ab ecclesia Judaica nunquam pro canonicis habiti sint, constat quoque ex testimoniis illis priscorum Patrum, quæ N. IV. adducuntur, imo a Pontificiis sanioribus conceditur. Vid. HVETII demonstr. Evang. Propos. IV. T. I. de libro Tobie p. m.*

p. m. 306. de libro Judith p. 309. de libris Machabæorum p. 460. de canone librorum sacrorum p. 473. & *Dissertation préliminaire ou prolegomenes sur la Bible, par L. E. DV-PIN. Amst. 1701. p. 85. 86. 89. 112.* Cum autem teste Paulo, Rom. III. 2. ecclesiæ Judaicæ divina oracula concredita sint, certum est quam quod certissimum, illos libros, de quibus jam agimus, in numerum librorum canonicorum non referendos esse. Nam si hi libri canonici sunt, aut canonici veteris aut novi Testamenti sunt. Si prius, posterius enim nemo asserit, necesse est, ut ab ecclesia V. T. in cuius usum scripti sunt, pro prophetis s. divinis agniti sint, seu temporibus V. T. canonici fuerint; fieri enim nulla ratione potest, ut sint canonici libri V. T. quos nunquam tales agnovit ecclesia V. T. & æque absurdum erit, illos, qui temporibus V. T. canonicæ auctoritatis non fuerunt, canonicos V. T. libros appellare, quam librum N. T. dicere, qui novi fœderis ætate a Christiana ecclesia in canonem receptus non est. Quum itaque hi libri ab ecclesia V. T. s. Judaica in canonem non recepti sint, in aprico est, illos inter canonicos nequaquam referendos esse. Nec quicquam valet testimonium ecclesiæ Romanæ s. Pontificiæ, nam ecclesiæ est, non facere canonicos libros, sed tantum testari, hos vel illos libros a viris divinis, qui divina vita, miraculis, & certis futurorum prædictionibus doctrinæ suæ fidem fecerunt, conscriptos, ecclesiæque in normam fidei & morum traditos esse, & hoc testimonium respondere debet ecclesiæ temporibus illis, quibus hi libri scripti sunt, proximæ.

2.) Neque Christus, neque apostoli unquam testati sunt, Judæos quosdam libros canonicos

nicos in canonem non recepisse, vel ex eodem rejecisse.

3.) Libri recensiti non pauca continent, quæ sunt fabulosa, & cum veritate historica & libris canonicis pugnant, quæ ad singulos adnotabimus libros.

4.) Quidam illorum, nimirum liber *Sapientiae*, *Tobiæ* & *IV. Esræ* post Christum natum scripti sunt, vid. Membr. II. Num. III. Membr. V. N. IV. Membr. XV. N. III. & propterea libri canonici V. T. esse nequeunt.

5.) Doctores ecclesiæ Christianæ, qui prioribus seculis floruerunt, testantur, quod tantum libri illi XXII. qui in codice hebraico exstant, canonici, reliqui autem ab illis remoti sint. Nam MELITO, qui sec. II. vixit, in *litteris ad Onesimum datis*, apud EVSEBIVM H. E. L. IV. c. XXVI. Cum, inquit, *libros veteris testamenti accurate cognoscere concupiveris, id perficere omni studio laboravi. - Ego igitur in Orientem profectus essem, & ad locum ipsum pervenissem, in quo hæc & prædicata & gesta olim fuerunt, veteris testamenti libros diligenter didici, eorumque indicem infra subjectum ad te misi. Est autem ejusmodi &c.*

ORIGENES, qui sec. III. floruit, in *expos. Ps. I.* & apud EVSEBIVM H. E. L. VI. c. XXV. *Sciendum est, ait, V. T. libros esse XXII. sicut ab Hebræis traditur, qui numerus etiam litterarum apud eos habetur. Sunt autem viginti duo libri juxta Hebræos β ι κ λ . - - Extra horum censum sunt libri Maccabæorum.*

ATHANASIVS, qui sec. IV. in ecclesia Græca doctoris officio functus est, in *genuino fragmento epist. XXXIX.* quod exstat in opp. ejus p. m.

38, *Quandoquidem inquit, conati sunt nonnulli, quæ dicuntur apocrypha, contexere, eademque divinitus inspiratæ scripturæ immiscere, quam & ipsi tamen exploratam ideo certamque habemus, quod a patribus nostris, qui ab initio verbum ipsum suis oculis viderunt, eique ministrarunt, eam accepimus, visum est etiam nobis hortantibus ad id germanis fratribus, qui ab initio omnia didicimus, libros, qui auctore canone pro divinis recepti & crediti sunt, ideo recensere, ut, qui in fraudem acti sunt, eadem resecta resipiscant, reliqui a constantiæ suæ memoria lætentur. Sunt igitur V. T. sicut ebraicæ lingvæ elementa ut accepimus, duo & viginti, quorum ordinem & nomen sic singillatim addemus. - - Hi sunt igitur salutis fontes, - - eisque quicquam nec addere nec demere decet. - - Ceterum, majoris & exactioris disciplinæ causa addo, & illud scribens necessario, præter superiores libros esse alios, non canone quidem probatos, sed veterum auctoritate, illis, qui pietatis elementis imbuendi essent, propositos, Sapientiam nempe Salomonis, Sapientiam Sirach, Esther i.e. addita-
menta Estheræ, Judith & Tobiam.*

HILARIUS, Athanasii *συνεργος* apud Latinos, prol. in Psalmos p. m. 335. *Ea est causa, ait, ut in viginti duos libros lex Testamenti veteris deputetur, ut cum literarum numero convenirent, qui ita secundum veterum traditiones deputantur.*
κ. γ. λ.

CYRILLVS Hierosolymitanus, qui eodem seculo floruit, Catech. IV. p. m. 36. *Disce, inquit, studiosè ab ecclesia, quinam sint V. T. libri, qui vero novi, neque legas mihi quicquam apocryphorum.* - *Divinas lege scripturas, V. T.*

libros viginti duos, quos septuaginta duo interpretes transtulerunt. p. 37. Horum libros lege duos atque viginti, nihilque cum apocryphis habeto commune. - - Reliqua omnia extranea, secundoque loco habeantur, & quæ in ecclesiis non leguntur, ea omnia neque per te legas, quemadmodum audisti. - - Hos solos (libros canonicos,) studiose meditare, quos & in ecclesia secure tutoque recitamus. Multo prudentiores te erant apostoli veteresque illi episcopi, ecclesie antistites, qui hos tradiderunt.

EPIPHANIVS, qui quoque sec. IV. vixit. L. I. *Heres. VIII. §. VI. T. I. Opp. p. m. 19. Ac quod, inquit, ad Judeos istos attinet ad illud usque tempus, quo ex Babylonica servitute reversi sunt, hos & prophetas & prophetarum libros habuerunt. Primus est, - atque hæc sunt volumina, quæ Judeis sunt concessa divinitus, quæ ad XXII. pro literarum, quæ apud Ebræos sunt, numero rediguntur. Sunt & alii duo libri, quos illi pro dubiis habent, nimirum Sirachi & Salomonis sapientia, præter alios quosdam, qui apocryphi, hoc est, obscuri dicuntur. Et libr. de ponderibus & mens. §. IV. T. II. Opp. p. m. 162. & 163. Ita duo & viginti libri pro literarum hebraicarum numero censentur. Quod enim ad duos illos attinet, qui versibus distincti sunt, Salomonis videlicet Sapientiam, quæ panaretus inscribitur, & Jesu filii Sirach librum Jesu nepotis, qui sapientie librum hebraice scripsit, quem nepos ejus græce reddidit, tametsi utiles ac fructuosi sint, in scripturarum numerum nequaquam referri solent.*

GREGORIUS Nazianzenus, qui etiam sec. IV. floruit, *carm. de veris & germanis script. libris T. II. Opp. p. m. 98. sequentem canit in modum:*

At

At tua ne libris fallatur mens alienis,
 (namque ascriptitii multi falsique vagantur,) hunc habeas certum numerum a me, lector amice.
 Bissenii libri veteris sunt fœderis, omnes
 historici, - - -
 quinque metris constant, - - -
 quinque prophetarum sunt libri rursus in uno,
 bissenii vates sunt juncti. - - -

- - - Sunt hæc
 omnia divinæ germana volumina chartæ,
 quicquid præterea est, haud inter certa locan-
 dum.

græc. εἰς τὸ δεῦτερον ἐκλῶς, καὶ ἐν γνησίοις.

AMPHILOCHIVS, Gregorii συγγραφοῦς, in ep.
 de studiis recte formandis jambico carmine scri-
 pta p. m. 132.

Non tuto, inquit, cuivis esse credendum libro,
 qui biblici prænomen augustum ferat,
 quandoque falso nominati sunt libri.

Ut ergo liquido hos noris, tibi singulos
 divinitus inspiratos numerabo libros,
 primumque prisce fœderis scripta eloquar,

Atque hic sacrarum literarum sit canon cer-
 tissimus κ. γ. λ.

HIERONYMVS, magnum illud seculi IV.
 lumen, præf. in libr. Regum, seu prologo galeato
 T. III. Opp. p. m. 12. Quoniam, inquit, viginti
 duo elementa sunt, per quæ scribimus hebraice,
 - - - ita XXII. volumina supputantur, qui-
 bus quasi literis & exordiis, in Dei doctrina
 tenera adhuc & lactens viri justus eruditur infan-
 tia. p. 13. Hic prologus scripturarum quasi ga-
 leatum

leatum principium, omnibus libris, quos de hebræo vertimus in latinum, convenire potest, ut scire valeamus, quicquid extra hos est, inter apocrypha esse ponendum. Igitur Sapiencia, quæ vulgo Salomonis inscribitur, & Jesu, filii Sirach liber, & Judith & Tobias - - non sunt in canone.

p. 16. præf. in Tobiam. Exigitis, ut librum e chaldeo sermone conscriptum ad latinum stilum traham, librum utique Tobie, quem Ebræi de catalogo divinarum scripturarum secant. - Arguunt enim nos Hebræorum studia, & imputant nobis, contra suum canonem latinis auribus ista transferre.

p. 16. b. præf. in Judith. Auctoritas libri Judith ad roboranda illa, quæ ad contentionem veniunt, minus idonea judicatur.

p. 18. præf. in proverbialia Salomonis. Sicut ergo Judith & Tobie & Maccabæorum libros legit quidem ecclesia, sed eos in canonicas scripturas non recipit, sic & hæc duo volumina, nimirum librum Sirachidis & Sapiencie legat ad ædificationem plebis, non ad auctoritatem dogmatum ecclesiasticorum confirmandam.

p. 20. præf. in Danielelem. Daniel apud Ebræos nec Susannæ habet historiam, nec hymnum trium puerorum, nec Belis draconis fabulas, quas nos, quia in toto orbe dispersæ sunt, veru anteposito easque jugulante subjecimus.

Patres concilii Laodiceni, hoc ipso seculo can. 59. editionis Gundling. p. 451. statuunt: Non oportet ab idiotis - libros, qui sunt extra canonem, legere, nisi solos canonicos N. & V. T. Quæ autem oporteat legi, hæc sunt x. 7. a. canonici autem libri, quos enarrant, sunt illi, qui in codice ebraico exstant.

Auctor

Auctor Synopseos S. S. quæ exstat in opp. Athanasii senioris p. m. 58. Scriptura, inquit, libros habet non infinitos, sed finitos, ac certo canone comprehensos, & veteris quidem instrumenti sunt isti: Genesis &c. & enumeratis illis libris, qui nobis canonici sunt, addit: Sunt itaque canonici veteris instrumenti libri viginti duo, literis hebraicis numero pares. Totidem enim apud Hebræos sunt literarum elementa, præter istos autem adhuc sunt alii ejusdem V. T. libri, non canonici, qui catechumenis leguntur. Sapientia Salomonis, - Sapientia Jesu, filii Sirach, - Esther, - Judith, - Tobie - & tot quidem sunt & ejusmodi cum in canone, tum extra canonem V. T. libri.

RVFIVS, Hieronymi *συγχερονος* expos. *Symb. Apost.* quæ exstat T. IV. *Opp. Hieronymi p. m. 76. Et ideo, inquit, quæ sunt N. & V. T. volumina, quæ secundum majorum traditionem per Spiritum S. inspirata creduntur, & ecclesiis Christi tradita, competens videtur hoc in loco evidenti numero, sicut ex patrum monumentis accepimus designare, & enumeratis libris, qui nobis canonici sunt: In his concluderunt numerum librorum V. T. - Sciendum tamen est, quod & alii libri sint, qui non canonici, sed ecclesiastici a majoribus appellati sunt, ut est Sapientia Salomonis, & alia Sapientia, quæ dicitur filii Sirach. - Ejusdem ordinis est libellus Tobie & Judith, & Machabæorum libri - quæ omnia legi quidem in ecclesiis voluerunt, non tamen proferre ad auctoritatem ex his fidei confirmandam. - Hæc nobis a patribus tradita, opportunum visum est hoc in loco designare ad instructionem eorum, qui prima sibi*

ecclesie ac fidei elementa suscipiunt, ut sciant, ex quibus sibi fontibus verbi Dei haurienda sint pocula.

Ex quibus testimoniis quam luculentissime constat, quod canon V. T. prout apud Judæos est, in ecclesia Christiana primæva sine ulla additione receptus fuerit, s. quod doctores ecclesie Christianæ, qui prioribus seculis floruerunt, non alios libros pro canonicis habuerint, ac illos, qui in codice ebraico prostant. Et notari meretur, quod doctissimi inter Romanenses viri fateantur, veteris ecclesie Christianæ, qua vetus Testamentum, canonem eundem fuisse cum canone Judæorum. Vid. P. D. HVEIII *demonstr. evang. T. I. prop. IV. de canone librorum sacrorum p. m. 473.*

AVGVSTINVS quidem L. II. *de doctrina Christ.* T. III. Opp. p. m. 25. hos libros *canonicos* appellat, at non in *propria & principali* significatione, sed *generaliori & minus propria*, qua denotantur libri, a fidelibus & piis profecti, antiqui & utiles, populoque in ecclesia prælegi digni, quia ad mores monitis & exemplis formandos faciunt; respicit Augustinus ad *alteram classem ανανοιστων*, qui prorsus *rejecti* erant; cum contra hi sententias aliquas e canonicis descriptas, & historias ad ecclesiam Dei pertinentes continerent, ideoque secundo jam seculo a quibusdam doctoribus legi & allegari commendarique cœperunt, inde in quibusdam ecclesiis post canonicos prælegi, tum Bibliorum volumini adjici; & denique canonicorum nomine late & improprie appellari, reclamantibus tamen aliis ecclesie doctoribus.

III. APPELLATIO. Vocantur hi libri

I.) *Apocryphi*, i. e. libri absconditi, rejectanei, e canone
ex-

exclusi, nam apocryphus est vox origine græca, respondens hebraicæ גנור: sunt vero Rabbinis גנורים illi libri, qui vel vitiose scripti, vel aliis libris V. T. vere canonicis contrarii sunt. Unum sufficiat exemplum. In tractatu Talmudico, cui titulus Sabbath, p. 30. b hæc occurrunt. בקשו חכמים לגנור ספר קודלת *Studuerunt Sapientes occultare*, i. e. apocryphum facere *librum Ecclesiasticis*.

- 2.) *Hagiographi*, respectu profanorum scriptorum, profus spuriorum, inutilium & rejectaneorum.
- 3.) *Ecclesiastici*, quia teste HIERONYMO T. III. Opp. p. m. 18. ad plebis ædificationem in conventibus publicis lecti sunt.

MEMBRUM I.

DE LIBRO JUDITHÆ.

- I. INSCRIPTIO. Græcis appellatur Ισθεθ, & Latinis *liber Judith*. Est autem Judith idem, quod יהודית *Judæa, fœmina confitens*.
- II. AUCTOR. Non constat, quisnam hunc scripserit librum.
- III. TEMPVS, QVO HISTORIA CONTIGIT, QUÆ HOC LIBRO DESCRIBITVR. Si vera est historia, accidit post captivitatem Babyloniam. c. V. 18. 19.
- IV. TEMPVS SCRIPTIONIS. Illud est incertum. Antiquissimus omnium, qui hujus libri mentionem iniecit, est CLEMENS ROMANVS in *epistola ad Corinthios I. edit. ITTIGII* p. m. 9. nisi illa interpolata est.

V. LINGVA. Probabiliter ab auctore non hebraica neque chaldaica, sed *græca* exaratus est, nam ORIGENES *Resp. ad Africanum*, edit. I. R. WETSTENII *Bas. 1674. p. m. 241. 242. de Tobia* inquit, *nos oportet scire, quod Ebræi Tobia non utantur, nec Judith, nec etiam scripta illa vel inter apocrypha ebraice habent, sicut ab ipsis met discendo cognovimus*, quo sine dubio chaldaicam quoque linguam remotam voluit; & qui ante Hieronymum scripserunt, græco textu & versione de græca lingua traducta usi sunt. HIERONYMVS quidem *pref. in hunc librum Opp. T. III. p. 16.* testatur, chaldaico sermone scriptum esse librum Judith, at non dicit, quod primitus ea lingua scriptus fuerit, neque ullus ante Hieronymum chaldaici textus meminit, & propterea chaldaicum illud exemplar non aliter ac versio græci textus considerari potest. Exstat versio *Syriaca, Ægyptiaca, Ebraica*, quæ a recentiore Judæi cujusdam manu provenisse videtur.

VI. ARGUMENTVM. Describit Assyrios victos per calliditatem Judithæ, cujus genealogia traditur c. VIII. 1. Neutiquam vero probabile est, res in libro Judithæ memoratas veram esse historiam, nam *Josephus*, magnificus ille gentis suæ præco, & laudis ejus cupidissimus, illius non meminit, neque ulli temporum articulo convenit. (1) *Non illi, qui captivitatem Babylonicam antecessit*, nam c. V. 18. 19. (græc.) narratur, quod Judæi ante annos aliquot in captivitatem abducti sint, & hostes illorum templum solo æquarint, & quod Judæi nuper reversi ex captivitate, iterum Hierosolymam possideant; pontifex *Jojakim* s. Eliakim *συχρονος* fuit Nehemiæ, siquidem alius ejus nominis inter pontifices maximos non occurrit; Neh. XII. 26. omnia gesta feruntur auspiciis non

non regis, sed pontificis vel optimatum; c. VIII. 18. (græc.) refertur nec tribum, nec familiam, nec populum, nec urbem ætate illa deos manu factos adorasse, & c. XVI. 23. 25. (græc.) Juditham mansisse in domo viri sui annos CV. & in omni spatio vitæ Judithæ neminem Israelem perturbasse, neque post mortem ejus annis multis; & certe tam magnifica populi Judaici liberatio in libris Regum vel Chronicorum nequaquam prætermiffa fuisset; neque (2) *illi ætati convenit, quæ captivitatem Babylonicam complexa & consecuta est*, nam ante solutam captivitatem templum vastatum fuit, illud autem hoc tempore jam rursus exstructum fuisse, ex c. IV. 2. II. 12. (græc.) constat. Sed & regno Assyriorum jam dudum, & Medorum sub finem captivitatis finis impositus erat, siquidem Darius Medus & Cyrus Medis, Assyriis & Babyloniis imperarunt, quorum sedes regia *Sufis* vel *Babylone* fuit. Quod vero Nabuchodonosor non unus ex ducibus regis Persarum fuerit, patet ex c. VI. 2. 4.

LVTHERO propterea est *drama* aliquod s. ποιμα sacrum a pio quodam homine effectum, & GROTIUS putat, hunc librum scriptum esse, cum primum Antiochus in Judæam venisset, templo nondum per idolum polluto, in hunc finem, ut Judæi spe divinæ liberationis confirmarentur, & est ipsi יהודית *gens Judæa*; Bethulia בית-אל יה *templum*; gladius inde egrediens *preces sanctorum*; Nabuchodonosor *Diabolus*; Assyria *fastus*; Holophernes הלפר נחש i. e. *lictor serpentis* s. minister diaboli *Antiochus*; Judith, formosa quidem, sed vidua *Judæa ab omni auxilio deserta*, & Joachim *Deus est surrecturus*; sperarunt, inquit, pii fore, ut Antiochus Deopænas daret, quemadmodum etiam dedit.

Cele-

Celeberrimus I. F. BVDDEVS *Hist. Eccl. V. T. T. II. p. 619.* in ea est sententia, historiam Estheræ fictis tamen nominibus, in dramate hoc sacro præsentatam esse. *Videtur, inquit, auctor libri Judith, historiam Estheræ præ oculis quodammodo habuisse, & eam in quibusdam imitari voluisse, & ad festum Purim, ob liberatos a truculentis Hamanis consiliis Judeos institutum alluisse.* Et sane hæc sententia magna similitudine veri gaudet. vid. J. J. SCHMIDT *Historicum Biblicum p. 753.*

VII. SCOPVS. Docere, Deum suo tempore adeste invocantibus se, & contra opibus & viribus suis fretos deprimere, & non licitum esse homini, auxilio divino signatum temporis articulum statuere, sed patienti animo expectandam esse horam salutis.

VIII. NÆVI SEV ERRORES, QVI HOC LIBRO CONTINENTVR. Laudatur facinus Simconis & Levi, Deoque ceu auctori adscribitur, c. IX. 2. sqq. quod tamen a Spiritu Sancto damnatum legimus Gen. XLIX. 5-7. & homicidium, lenocinium, mendacium, perjurium, & impia divini nominis profanatio Judithæ celebratur, c. IX-XI. XIII. XVI. quamvis vero hic liber quibusdam nævis scateat, lectu tamen dignissimus est, siquidem haud parum ædificationis legentibus suppeditat.

IX. PARTITIO. Siftit

I. Holophernem bellantem. c. I-VII.

II. Devictum. c. VIII-XVI.

MEMBRVM II.

DE LIBRO SAPIENTIÆ.

I. INSCRIPTIO. *Græcis* inscribitur Σοφία Σαλωμωνων, & *Latinis* Sapiencia Salomonis, quam appellationem obtinuit, quia Salomo loquens inducitur.

II. AVCTOR. Quod Salomo hunc librum non composuerit, patet ex cap. XV. 14. coll. 1 Reg. IV. 20. 21. 24. 25. & e vocibus, quæ se ad certamina Græcorum, Salomonis tempore longe recentiora referunt, cuiusmodi sunt σεφανηφορειν, coronam, qua victores donabantur, gestare; πομπευειν, corona accepta cum pompa & gloria incedere; αγων, locus designatus ad certamen currendi s. stadium; αθλον, præmium victori destinatum; βραβευειν, præmium victori conferre.

In eadem sententia sunt HIERONYMVS & AVGVSTINVS; nam Hieronymus præf. in prov. Salom. T. III. Opp. p. m. 18. Fertur, inquit, & alius Pseudepigraphus, qui Sapiencia Salomonis inscribitur. Augustinus T. V. Opp. in speculo p. m. 957. Duo, ait, sunt, liber Sapientiæ, & Sirachidis, qui Salomonis a pluribus appellantur, propter quandam, sicut existimo, eloquii similitudinem, nam Salomonis non esse, nihil dubitant quique doctiores.

HIERONYMVS præf. in prov. Salom. T. III. p. m. 18. a nonnullis veterum scriptorum, h e trium priorum a Christo nato seculorum, hunc librum PHILONI JVDÆO tributum fuisse, memorat, & quod

quod per hunc Philonem Judæum *Alexandrinus* ille, qui seculo primo post Christum natus floruit, intelligendus sit, in aprico est, nam præter illum Alexandrinum alius Philo Judæus ante vel circa tempora Christi & Apostolorum non existit.

Vixit quidam PHILO, qui *senior* dicitur, ante Christi tempora, sed illum ethnicæ religioni additum fuisse, ex L. I. JOSEPHI *contra Apionem* constat, siquidem illum inter profanos historicos refert; & quod Philo ille senior non auctor sit hujus libri, variæ postulant rationes, nam auctor omnis generis idololatriam, tanquam rem stolidissimam singulis fere paginis damnat, gentilium cultui Judæorum Deum colendi rationem præfert, illos solos Dei populum, sanctosque ejus filios nominat, & perhibet, se ex Judæis ortum esse, c. XII 6. quapropter nemo veterum hunc librum Philoni illi seniori tribuit. Quæ cum ita sint, PHILO-NEM, *Judæum Alexandrinum*, auctorem hujus libri agnoscimus, & in hac sententia confirmamur, in memoriam revocantes ea, quæ tempore Philonis Alexandrini acciderunt, & illa conferentes cum effatis hujus libri. Nam imperante *Cajo Caligula* Ægyptii, & præses Romanus Flaccus, statuas imperatoris in prosevchas Judæorum inferri & coli voluerunt, unde cædes & rapinæ ortæ sunt, & tetra Judæorum secuta est oppressio; tandem terni ab utraque parte legati delecti, & ad *Cajum* missi sunt. Gentilium legatorum princeps fuit *Apion*, & Judæorum *Philo*, ac Apione Judæos variorum scelerum arguente, ac præcipue illos culpante, quod imperatorem debito non prosequerentur honore, imperator Philonem, parantem gentis suæ causam perorare, repulsum jussit abire, ac ea fuit temeritate & impietate, ut statuas suas in omnibus prosevchis Judæorum collocaverit, & templum Hierosolymitanum,

tanum, quod huc usque intactum permanferat, in templum fui nominis commutaverit. Vid. JOSEPHI A. J. L. XVIII. c. X. p. 639. & EVSEBII H. E. L. II. c. V. Quæ optime conspirant cum effatis hujus libri; conf. c. I. 1. 6. 9-11. III. 4-8. V. 1. VI. 1-11. 22-27. X. 4-20. XI. XII. 2-11. 13-fin. XIII. 10-fin. XIV. 8-12. 15-21. XV. 8. 13. 15-18. XVI. 16. 21. XVII. 2. XVIII. 7. XIX. 21. Præcipue notari meretur c. XV. 14. *inimici*, inquit auctor, *populi tui opprimentes illum*; quod vero per illos Romanos & Ægyptios intelligat, luce meridiana est clarius, nam refert de inimicis v. 15. quod omnia idola gentium in Deorum numero reponant, quod de nulla alia gente, quam Romana, intelligi potest, & v. 18. 19. c. XVI. XVII. XVIII. XIX. Ægyptios respicit; ex illis autem, quæ supra dicta sunt, patet, quod tempore Philonis non solum Romani, sed & Ægyptii Judæis quam maxime infesti fuerint, eosdemque opprefferint. Vid. S. R. DAN. SALTHENII *Diff. de auctore libri Sapientiæ*, hab. Regiom. 1739.

III. TEMPVS, QVO SCRIPTVS EST. Probabiliter anno ær. vulg. XXXIX. consignatus est, nam legatio Philonis ad Cajum contigit anno tertio imperii Caji. Vid. JOSEPHI A. J. L. XVIII. c. IX. X. & XI. p. 639. sqq. Annus tertius autem Caji respondet anno ær. vulg. XXXIX. Vid. *Tab. Chr. N. T.*

IV. LINGVA. Scriptus est lingua non hebraica, sed *græca*, nam HIERONYMVS *præf. in Prov. Sapiëntia*, inquit, *apud Ebræos nusquam est, quin & ipse stilus græcam eloquentiam redolet*; & secundo jam seculo CLEMENS ALEXANDRINVS græco textu est usus. Conf. STROM. L. VI. p. m. 669. & Sap. c. IV. 17. sqq. V. 3. Exstat versio arabica, ægyptiaca & syriaca. R. MOSES NACHMANIDES, qui sec. XIII. floruit, refert quidem *prol. comment.*

in Pentat. quod chaldaicum exemplar oculis suis viderit, at alii jam observarunt, quod potius syriacum exemplar fuerit.

V. ARGUMENTVM. Agit de officio principum, de afflictionibus piorum, de felici illarum exitu, de vita æterna, de supplicio impios manente, de statuis & idolis, eorumque inventione & cultu, de malis, quæ Deus olim Ægyptiis immisit, & de sapientia vera falsaque, ac utriusque origine & effectibus.

VI. SCOPVS. Ille est, ut Ægyptii exemplo majorum deterriti, ab iniquissima oppressione Judæorum desisterent, & veram cœlestem Sapientiam amplecterentur; Judæi vero spem & fiduciam in Deo reponerent, non ignari, majores suos, graviora in Ægypto olim mala perpeffos, Dei auxilio liberatos esse.

VII. NÆVI. (1) Israelitas c. X. 26. vocat *σπέρμα αμεμπτον*, conf. Deut. XXXII. 5. (2) *Μελεμψυχωσι* c. VIII. 20. asserit. (3) Mosis contradicit. c. XVI. 21. coll. Exod. XVI. 31. Num. XI. 8. (4) Tenebris in Ægypto, spectra, sibilos, fragores horrendos, aliaque id genus permixta fuisse docet, c. XVII. 3. sqq. de quibus in libris Mosis altum est silentium. (5) Salomonem regem se simulat, c. IX. 7. 8. (6) Natis ex thoro illegitimo salutem æternam simpliciter denegat. c. III. 16-18. conf. Ezech. XVIII. 10. 2 Sam. XII. 23. Attamen hic liber ob multa præclara & eleganter dicta, lectu dignissimus est.

VIII. PARTITIO. Tradit

I. Adhortationem ad sapientiam amplectendam. c. I-VI.

II. Veræ sapientiæ originem, & adminiculum ejus consequendæ per preces. c. VII-IX.

III. Laudem sapientiæ multis exemplis illustratam,

tam, varia argumenta contra idololatriam gentium, & Dei judicia adversus infideles. c. X-XIX.

MEMBRUM III.
DE LIBRO TOBIÆ.

- I. INSCRIPTIO. *Græcis* inscribitur *τωβιτ*, & *Latinis* *liber Tobiaꝝ*. Est autem *Tobia* nomen origine ebræum, denotans *bonitatem Dei*, s. *Deus est bonus*.
- II. AUCTOR. Ille est incertus; probabile vero est, utrumque *Tobiam*, saltem alterutrum, rei summam primum consignasse, eamque, cum ab agnato quodam extrema adjecta essent, deinde, & fortasse diverso tempore, a diversis fuisse expolitam, & nonnullis fictionibus dilatatam. In multis momentis enim veritatem facti subesse, vero simile est, quæ vero progressu temporis a *Tobiaꝝ* posteris, aut ejus amicis, aut hellenista quodam, fabellis illis de dæmone *Asmodæo* & de angelo *Raphaele* exornata, aut potius depravata est, cui sententiæ quoque favent angeli boni & mali nomina, ad rem exprimendam efficta, nam *Raphael* denotat medicum s. medicinam Dei, *Azarias*, cujus filium se esse perhibuit, auxilium Domini, & *Asmodæus* destructorem s. perditorem.
- III. LINGVA. Scriptus est ab auctore non hebraica, nec chaldaica, sed *græca* lingua, nam *ORIGENES* *Resp. ad Afr. edit. Wetst. p. 241. 242. de Tobia*, inquit, *nos oportet scire, quod Ebræi Tobia non utantur, nec Judith, nec etiam scripta illa, vel inter apocrypha, hebraice habent, sicut ab ipsismet discendo cognovimus; & nemo ante HIERONYMUM chaldaici textus meminit, sed græca editio a Patribus allegatur; imo, græca editio chaldaica in historicis uberior est, & si Origeni aliqua chaldaici textus notitia fuisset, illud sane non tacuisset.*

cuiisset. Negari nequit, quod HIERONYMVS hunc librum ex chaldæo in latinum sermonem, & quidem unius diei spatio, transtulerit, vid. ejus *præf. in Tob. T. III. Opp. p. m. 16.* illud exemplar autem tantum versionem fuisse, ex dictis conficitur, & omnes concedunt, illam chaldaicam editionem periisse. Exstat versio *syriaca*, quæ ex græco textu manavit, *æthiopica*, *armenica* & *hebraica gemina*, quarum unam a quodam religioni Christianæ addicto, ex versione latina, exercitii gratia, translata MUNSTERVS, & alteram PAVLVS FAGIVS edidit. Pontificii ipsi concedunt, nullum ebraicum Tobiae exemplar esse autentium. LVTHERVVS latinam versionem Hieronymi, a græco textu valde discrepantem, germanice transtulit, quia illa nonnunquam præ græco textu in moralibus abundat.

IV. TEMPVS, QVO SCRIPTVS EST. Probabiliter sub finem seculi primi post Christum natum literis consignatus est, nam ante hoc tempus nemo illius meminit, non ita diu ante Hieronymi tempora nequidem inter apocrypha Judæorum existit, ac Josephus ejus in libris suis mentionem non injicit.

V. ÆTAS HISTORIÆ. Contigerunt ea, quæ hoc libro narrantur, tempore captivitatis Assyriacæ. c. I. 2. II. 15.

VI. ARGVMENTVM. Describitur Tobiae senioris & junioris curriculum vitæ, & traditur simul imago pii conjugii. Senior appellatur *Τωβιτ*, & junior *Τωβιας*.

VII. SCOPVS. Sub historia salubria præcepta jucundè & suaviter instillare, & in primis ostendere, quod

quod Deus fideles afflictos tandem consoletur, & ab omni illos liberet malo.

VIII. NÆVI. (1) De angelo Raphael refertur, quod dixerit, se esse ex filiis Israel &c. (græc.) c. V. 12. VII. 3. & (germ.) c. V. 7. 19. VII. 4. ast angeli boni mentiri sunt nescii. (2) Nomina: Raphael & Asmodæus talmudicas fabulas redolent. (3) Medicina a Raphael commendata superstitionem & magiam sapit. c. VI. (græc.) 4. sqq. & (germ.) 8-10. 20. conf. Matth. XVII. 21. (4) Raphael, c. XII. 12. 15. *unus sum*, inquit, *ex VII. illis angelis, qui adstant ante Dominum, & orationes piorum Deo offerunt*, ast hoc Christo, mediatori nostro, in S. Scriptura unice adscribitur, Rom. VIII. 34. 1 Joh. II. 2. & verba illa: *Sum ex VII. illis angelis, qui adstant Domino*, fabulam sapiunt Judæorum, singulis ex VII. illis angelis singulos dies tribuentium. Conf. Dan. VII. 14. (5) Quæ de eleemosynis perhibentur c. XII. pugnant cum Rom. III. 20. 28. (6) In græco textu, c. XIV. 4. 8. provocatur ad prophetiam Jonæ, eamque in Ninive delenda impletum iri asseritur, Jonæ vero prophetia plane non spectat ad everfionem hujus urbis, quæ aliquot annis post Hierosolymæ excidium contigisse legitur. Non Jona sed Nahum hanc everfionem prædixit. (7) In latina editione, quam Pontificii canonicam, græcæque præferendam, judicant, c. III. 7. Sara dicitur habitasse in Rages, civitate Medorum, contra c. IX. 3. angelus Tobia comes, cum ad locum illum, in quo Sara habitabat, venisset, rogatur a Tobia, ut vadat ad Gabelem, in civitatem Medorum Rages dictam. (8) In latina editione conciliari nequeunt c. XIII. 11. 12. XIV. 7. cum c. I. 2. XIV. 2. sed invenimus anachronismum annorum

minimum LVIII. Deportatus enim est Tobias a Sal-
manassare anno VI. Hiskiae, a quo anno ad con-
flagrationem templi, anni CXXXIII. effluxerunt,
Vid. p. 58. 59. Complevit vero Tobias
tantum annos CII. mortuus itaque est ante
destructionem templi. Ob hos autem naves hic
liber minime plane rejiciendus aut contemnendus,
sed potius ob egregia, quae in illo reperiuntur,
sedulo evolvendus est.

IX. PARTITIO. Describitur Tobiae junioris
vitae

I. ingressus, c. I-IV.

II. progressus, V-XIV. 1-15.

III. egressus, v. 16. 17. sive

1.) Historia vitae Tobiae senioris & junioris. c.
I-XIII.

2.) Obitus. c. XIV.

MEMBRUM IV.

DE LIBRO SIRACHIDIS.

I. INSCRIPTIO. Ab argumento *Σοφία Σιραχ*
Sapientia Sirachidis inscribitur. Vocatur etiam
Ecclesiasticus, s. ad imitationem Ecclesiastae Salo-
monis, s. quod probabilius, quia in ecclesia fre-
quenter lectus est ad plebis aedificationem; &
πανάγειρος, *thesaurus omnium virtutum.*

II. PRÆFATIO. Græco textui duplex præfatio
præfixa est. Prior profecta est ab ignoto aliquo
hujus libri editore, posterior vero a Jesu Sira-
chide.

III. AUCTOR. Ex libri prologo liquet. Jesum
seniorem, qui sub Ptolomæo Lagi vixit, auctorem
esse hujus libri, eumque hebraico sermone confi-
gnasse, Jesum vero juniorem, senioris nepotem,
ab

ab avo suo Jesu, Jesum, & a patre Sirach, Sirachidem dictum, c. L. 29. illum in græcum transtulisse idioma. Anno XXXVIII. regis Evergetæ, qui vel est annus, quo Jesus Sirach sub Ptolomæo Evergete in Ægyptum venit, vel ex quo avus ejus hunc librum conscripsit, aut vitæ Sirachidis junioris, nam Ptolomæus XXXVIII. annos regimini non præfuit; ex eodem autem prologo constat, neque auctorem, neque interpretem fuisse prophetas, nam interpres auctorem avum suum a Mose & prophetis distingvit, ex iisque sua petiisse refert, ac veniam postulat, si hebraicas sententias in linguam græcam non ita commode verterit, quod cum *θεοπνευσία* consistere nequit. Prostat versio syriaca, arabica & ægyptiaca, ebraicum vero exemplar hodie non exstat, & de versione vulgata observandum, quod totas sententias huc illuc infarferit, & græcum textum deseruerit.

IV. NÆVI. (1) Docet, quod erogatio stipis deleat peccata. c. III. 33. (gr.) 30. III. 20. 28. conf. Rom. III. 20. 28. (2) Verba Prov. VIII. 21. de sapientia increata intelligit de creata quadam sapientia. c. XXIV. 12. 14. (3) Samuelem ipsum lamie artibus ab inferis evocatum, Sauli apparuisse existimat. c. XLVI. 23. coll. 1 Sam. XXVIII. 6. (4) Verba Mal. IV. 5. de Elia ipso exponit. c. XLVIII. 10. 11. conf. Matth. XVII. 10-13. Interim egregius sane est liber, in quo bene digesta, & in usum paræneticum relata ac dilatata sunt, quæcunque ejusdem auctore fontibus Mosis & prophetarum hausta, pia meditatione sanctaque praxi ipse in succum quasi & sanguinem converterat; nil fere ad mores formandos utilius scribi potest.

V. ARGUMENTVM. Tradit præcepta & monita egregia, sanctamque vitam patrum.

VI. SCOPVS. Omnes homines, imprimis vero juventutem majori cognitione veræ sapientiæ imbuere, & ad emendandam vitam excitare.

VII. PARTITIO. Continentur hoc libro

I. Variæ regulæ. c. I-XLII.

II. Exempla, c. XLIII-L. 1-28.

una cum conclusione. v. 29-LI-fin.

MEMBRVM V.

DE LIBRO BARVCHI.

I. INSCRIPTIO. Illa est *Baruch*, quod nomen origine ebraicum denotat benedictum; versionis vulgatæ titulus est prophetia Baruchi.

II. AVCTOR. *Baruch*, filius Neriæ, c. I. i. non vero amanuensis ille Jeremiæ, (Jer. XXXVI. 4. XLV. 1.) hic enim cum Jeremia Ægyptum adiit, (Jer. XLIII. 6.) ille vero in Chaldæa vitam transigit. (c. I. 3. 4.) Quis quoque sibi persuadebit, Baruchum græce potius, quam ebraice, hunc librum scribere maluisse? græce enim scriptum esse, ex stilo, ex ebraismo nihil trahente, liquet. Accedit, quod nemo veterum ebraici textus meminerit, & HIERONYMVS testetur *præf. in Jeremiam* T. III. Opp. p. m. 17. hunc librum apud Ebræos nec legi, nec haberi; notandum quoque, quod auctor, c. VI. 3. per septem generationes intelligat annos LXX. Hebræis enim generatio non est spatium X. annorum. Exstat versio arabica, syriaca & æthiopica. GROTIUS in ea est sententia, hunc librum, additamenta Estheræ, & hymnum fociorum Danielis rhetorica esse exercitia piorum quorundam hellenistarum, qui ornandis veris

veris historiis ea scripserint, quæ illis temporibus probabiliter dici aut scribi potuissent. Vid. *ejus annotata ad Estheris additamenta.*

III. NÆVI. (1) Baruch, qui non Babylonem sed in Ægyptum se contulit, Jer. XLIII. 6. testatur, se hunc librum Babylone composuisse post ever-
sionem Hierosolymorum. c. I. 1. (2) Refert, Hierosolymam incensam fuisse, sceptrum tenente Jechonia, aut illud regnante Zedekia accidisse, patet ex 2 Reg. XXIV. XXV. & Jer. LII. 11. 12. (3) Profiteretur, c. I. 3. 4. se librum suum legisse, Jechonia & populo toto, imo & potentioribus, filiis principum & senioribus ad lectionem libri hujus audiendum coactis, at quis credet, Babylonios permissuros fuisse, totum populum, seditionibus obnoxium, prope regem suum in carcere detentum, cogi? & quis nescit, quod populus Judaicus in Babylonia dispersus fuerit? (4) Sacerdotibus Hierosolymam pecuniam missam ait, ut pro captivis Judæis sacrificia offerrent, c. I. 6. 10. tunc temporis autem nec templum nec altare fuit. Conf. v. 2. c. II. 26. Thren. II. 6. 7. Interim hic liber lectu dignus est, nam stimulos addit ad pœnitentiam, modumque ejus, quantum in primis ad veram cordis humiliationem, exhibet, & in epistola Jeremiæ annexa idololatria graphice depingitur.

IV. ARGUMENTVM. Baruch epistola, nomine captivorum Judæorum in Chaldæa, ad illos, qui Hierosolymæ degebant, missa, & in omnibus conventibus sacris, & diebus festis publice prælegenda, Judæos fratres suos excitat, proprium, & illorum, qui captivi in Chaldæa detinebantur, afflictum statum Deo submisso animo notum facere, ejusque finem seriis precibus impetrare, ex quo simul scopus hujus libri elucet.

V. PARTITIO. Comprehendit hæc epistola post exordium, c. I. 1-10.

I. excitationem ad preces ad Deum fundendas, v. 11-13.

II. preces ipsas s. deprecationem. c. I. 15-V. 1-fin.

VI. APPENDIX. Illa est epistola a Jeremia ad Judæos in Chaldæa missa, in plerisque codicibus sextum libri Baruchi caput constituens, & continens invectivam in idololatriam, & cultus unici Dei commendationem. Jeremiam vero prophetam auctorem non esse, & exinde patet, quod non ebræo, sed græco idiomate scripta, quo, cur Jeremias usus sit, nulla, ne probabilis quidem ratio reddi potest.

MEMBRUM VI.

DE LIBRO I. MACCABÆORVM.

I. INSCRIPTIO. Illa est *Μακκαβαίων α*; appellatur autem liber Maccabæorum, quia *res gestas Judæ Maccabæi*, ipsiusque successorum, qui fratres ejus fuerunt, describit. Cessit quidem & his inter Christianos cognomen Maccabæi, quod autem solus Judas ob fortitudinem suam MACCABÆVS cognominatus fuerit, patet ex I Maccab. II. 4. & ex testimonio JOSEPHI *Antiqv. Jud. L. XII. c. VIII. p. m. 410.* Nec obstat liber Maccabæorum, quem consignavit Josephus, nam EVSEBIVS H. E. L. III. c. X. *Josephus*, inquit, *elaboravit opusculum, quod a nonnullis Maccabæicum inscriptum est, eo quod certamina contineat Hebræorum quorundam, qui, ut in Maccabæorum libris proditum est, pro divino Numinis cultu fortiter propugnarunt.*

pugnarunt. Tribuitur quoque in libro Josephi, cujus mentio facta, aliis nomen Maccabæi, non autem in textu græco, sed tantum in versione latina. Reliqui, qui ad familiam Mattathixæ pertinuerunt, חַשְׁמוֹנִים *Chaschmonæi*, aut *Hasmonæi*, i.e. *viri principes & optimates* dicti sunt. Nomen *Maccabæi* compositum esse videtur ex מכה & בי per me est plaga, sive percussio Judæorum apostatarum & gentium Judæis infestiarum; aliis autem est prosternens ab arabico כרב vel כבה. Sunt, qui putant, vexillis loco tesserae militaris insertam fuisse vocem מכבי per literas initiales ex Exod. XV. 11. contractam, at alii adstruunt, vexillo Judæ leonem in textum fuisse.

II. **AVCTOR.** Probabiliter pontifex aliquis, aut sacerdos ad Hasmonæorum familiam pertinens hunc librum consignavit, quod autem propheta non fuerit, ipse innuit, siquidem testatur, illo, quo scripsit, tempore, prophetas a Deo non amplius datos esse. c. IV. 46. IX. 27. XIV. 41.

III. **LINGVA, QVA AB AVCTORE SCRIPTVS EST HIERONYMVS** *in prol. galeato s. præf. in libr. Regum T. III. Opp. p. 13.* testatur, hunc librum a se hebraice (i. e. dialecto, quæ eo tempore inter Judæos recepta, & syro-chaldaica fuit) visum fuisse, illa vero editio nostram ætatem non attigit. Exstat versio syriaca.

IV. **NÆVI.** (1) Alexander M. regnum suum divisisse dicitur inter ministros, c. I. 6. 7. quæ divisio nequitiam ab Alexandro, sed a successoribus instituta est. (2) Refertur c. I. II. quod Antiochus Epiphanes anno Græcorum 137. in Græcia regnavit, ast a morte Alexandri ad initium usque regni Antiochianni CXLVIII. fluxerunt Vid. p. 71. & 73. (3) Narratur c. VIII. 7 (græc.) 8. 15. 16. Romanos Antiochum

chum M. vivum cepisse, regiones Indorum, Medorum & Lydorum eidem ereptas Evmeni dedisse, Romæ senatores 320. de statu reipublicæ consuluisse, unque consuli summam rerum demandatam esse, quæ singula a veritate historica alienissima sunt. (4) Laudatur factum Eleazari, c. VI. 43. sqq quod tamen ex ambitione vana promanavit, & ab *αυλοχειρια* non procul remotum fuit. Interim tamen hic liber est lectu dignissimus, & plurimum confert ad intelligendam prophetiam Danielis, quæ legitur c. IX.

V. ARGUMENTVM. Describitur historia XXXIV. annorum, quæ tradit res a Juda ejusque fratribus sub sex Syriæ regibus gestas. Anni vero numerantur secundum epocham Seleucidarum, quæ incidit in annum M. 3694. Vid. p. 71.

VI. SCOPVS. Docere, quod Deus non deserat sibi confidentes, sed illos in omnibus afflictionibus & angustiis juvet, & parva manu magnas hostium copias possit profigare.

VII. TABVLA CHRONOLOGICA LIBRI
I. ET II. MACCABÆORVM.

A.M.

3694

Seleucus Nicanor anno primo Olymp. CXVII. (vid. DIOD. SICVLI Bibl. Histor. L. XIX. p. 717. & 127.) qui respondet A. M. 3694. Babylonem recuperat, & postea regnat A. XXXII. vid. *VSSERII annales* p. 263. ac ab hoc anno *epocha Seleucidarum*, seu regni *Græcorum in libris Maccabæicis* observata, initium capit. Inchoat autem hanc æram auctor libri I. Maccabæor. a vere s. mense Nisan, a quo incipit legalis Hebræorum annus, Exod. XII. 2. præceptus, (conf. Esth. III. 7.) & auctor II. lib. Maccab. ac Josephus juxta consuetum morem ab *autumno anni U. C. 442.* currente anno primo Olympiadis 117. æstate hujus anni inceptæ. Vid. CAM. de SYLVESTRIS Chron.

A.
Seleuc.A. ab
U. C.

I 442

A.M.		A. Seleuc.	A.ab U.C.
	p. 69. <i>Novus annus & epocha Syro-Macedonum</i> Lipf. 1696. p. 71. 75. & VSSERII <i>Annales</i> p. 245.		
3725	<i>Antiochus Soter</i> succedit & regnat A. XIX. Vid. <i>EVSEBII Chron.</i> p. m. 35.	32	473
3744	<i>Antiochus II. Theus</i> incipit & regnat A. XV. Vid. <i>EVSEBII Chron.</i> l. c.	51	492
3759	<i>Seleucus II. Callinicus</i> succedit & imperat A. XX. Vid. <i>EVSEBII Chron.</i> l. c.	66	507
3779	<i>Seleucus III. Ceraunus</i> incipit & regnat A. III. Vid. <i>EVSEBII Chron.</i> p. 36.	86	527
3782	<i>Antiochus III. Magnus</i> succedit & regnat A. XXXVI. Vid. <i>EVSEBII Chron.</i> l. c.	89	530
3818	<i>Seleucus IV. Philopator</i> incipit & regnat A. XII. Vid. <i>EVSEBII Chron.</i> l. c.	125	566
	Initium libri II. Maccabæorum.		
3829	<i>Seleucus</i> mittit <i>Heliodorum</i> Hierosolymam ad diripiendum templum. 2 Macc. III. 1. sqq.	136	577
3830	<i>Antiochus IV. Epiphanes</i> Antiochi M. filius succedit anno regni Græcorum 137. 1 Macc. I. 11. & regnat A. XII. c. VI. 16. Vid. <i>EVSEBII Chron.</i> p. 36.	137	578
	Initium libri I. Maccabæorum.		
3836	<i>Antiochus ex Ægypto reversus, sævit in Hierosolymitanos, & templum spoliat</i> , illudque maculatione porcorum profanum reddit, anno æræ Seleucid. 143. 1 Macc. I. 17. sqq.	143	584
3838	<i>Antiochus</i> anno Seleucid. 145. omnibus gentibus sibi subjectis imperat eundem cultum, nimirum <i>Græcicum</i> , 1 Macc. I. 45. sqq. & exstruitur abominatio desolationis, sive <i>abominandum Jovis Olympii idolum</i> super altare, & in civitatibus aræ eriguntur. v. 57. sqq.	145	586
	<i>Mattathias</i> , Judæ Maccabæi pater insurgit contra <i>Antiochum Epiphanem</i> , & populo præest annum I. 1 Macc. II. 1. sqq. coll. c. I. 57. & II. 70.		
3839	<i>Judas Mattathiæ</i> succedit, 1 Macc. II. 70. III. 1. & regnat A. VI. Vid. <i>VSSERII Annal.</i> p. 347.	146	587
3840	<i>Antiochus</i> in Persidem proficiscitur, <i>Lyjia</i> regni administratore relicto, cum mandato de Judæis delendis. 1 Macc. III. 27-39.	147	588
3841	<i>Judas</i> templum cum urbe receptum repurgat, & Deo denuo dicat. 1 Macc. IV. 36. sqq. 52.	148	589
3842	<i>Antiochus V. Eupator</i> succedit, & regnat A. II. 1 Macc. VI. 16. sqq. Vid. <i>JOSEPHI Antiqu. Jud.</i>	149	590

A.M.		A. Seleuc.	V.ab U.C.
	L. XII. c. XVI. p. m. 421. & 422. & <i>EVSEBII Chron.</i> p. 38.		
3843	Judas arcem Hierosolymæ obsidione cingit, at novi regis adventu, irrito incepto abscedere cogitur. 1 Macc. VI. 20. 32. Hicce annus fuit <i>Sabbaticus</i> . 1 Macc. VI. 49. 53. coll. v. 20. & c. VII. 1.	150	591
3844	<i>Demetrius Soter</i> Seleuci Philopatoris filius, incipit & regnat A. XI. 1 Macc. VII. 1. sqq. Vid. JOSEPHI <i>A. J. L. XIII. c. V. p. 432. EVSEBII Chron.</i> p. 38. <i>Nicanor</i> , Demetrii dux in Judæam venit, & cum Juda congressus, una cum exercitu perit. 1 Macc. VII. 25. sqq. 43. sqq. coll. c. IX. 3. Finis libri II. Maccabæorum, describentis historiam XV. annorum.	151	592
3845	<i>Judas</i> auditis Romanorum rebus præclare gestis, <i>foedus</i> cum illis init. 1 Macc. VIII. 1. sqq. <i>Judas</i> Bachidem, a Demetrio validis cum copiis missum, exigua manu aggreditur, at multitudine circumventus, & a suis desertus, fortiter occumbit. 1 Macc. IX. 1. 2. 3. sqq. <i>Jonathan</i> fratri Judæ in ducatu succedit, 1 Macc. IX. 28. sqq. & præest A. XVII. Vid. JOSEPHI <i>A. J. L. XIII. c. XI. p. 446. VSSERII Annal.</i> p. 362.	152	593
3846	<i>Alcimus</i> præcipit destrui muros domus sanctæ interioris, 1 Macc. IX. 54. & morbo correptus, diem suum obit. v. 55.	153	594
3853	<i>Alexander Veles</i> s. <i>Bala</i> , Antiochi Epiphanis filius, occupat Ptolemaidam. 1 Macc. X. 1. sqq.	160	601
3855	Alexander victo occisoque Demetrio occupat regnum, illudque tenet A. V. ac <i>Ptolomei</i> Philometoris regis Ægyptii, <i>filiam</i> uxorem ducit. 1 Macc. X. 48. sqq. 57. sqq. Vid. JOSEPHI <i>A. J. L. XIII. c. VIII. p. 437.</i>	162	603
3858	Hic annus numeratur primus regni Alexandri. <i>Demetrius</i> , Demetrii filius, acceptis multis mercenariis militibus, ab insula Creta solvens, trajicit in Ciliciam, cujus rei nuncio Alexander valde contristatur. 1 Macc. X. 67. sqq. Vid. JOSEPHI <i>A. J. L. XIII. c. VIII. p. 435.</i>	165	606
3859	<i>Ptolomæus</i> cum ingenti exercitu in Syriam venit, specie quidem ut Alexandro præsto esset, revera autem regnum ejus occupaturus. Uxorem quoque ejus Cleopatram, filiam suam, Alexandro eripit, eandemque	166	607
			Demetrio

A.M.		A. Seleuc.	A. ab U.C.
	Demetrio Nicanori collocat. 1 Macc. XI. 1. sqq. Vid. JOSEPHI <i>A. J.</i> l. c.		
3860	<i>Demetrius II. Nicanor</i> , incipit regnare. 1 Macc. XI. 19. sqq.	167	608
3862	<i>Simon</i> Jonathani succedit. 1 Macc. XIII. 1. sqq. Vid. JOSEPHI <i>A. J.</i> L. XIII. c. XI. p. 444. & 446. & regnat A. VIII. VSSERII Annal. p. 368.	169	610
3863	<i>Tryphon</i> regnum occupat, 1 Macc. XIII. 32. & regnat A. III. Vid. JOSEPHI <i>A. J.</i> L. XIII. c. XII. p. 447. Simon primo anno regiminis sui <i>summus sacerdos</i> dicitur, <i>dux & princeps</i> Judæorum, 1 Macc. XIII. 41. 42. JOSEPHI <i>A. J.</i> L. XIII. c. XI. p. 446. & deinde populum regit A. VII. ex quo autem Jonathani successit, Judææ præfuit A. VIII. Vid. JOSEPHI <i>A. J.</i> L. XIII. c. XIV. p. 448.	170	611
3867	<i>Antiochus Sidetes</i> , Demetrii filius, incipit regnare. 1 Macc. XV. 1. 10. sqq.	174	615
3870	<i>Johannes Hyrcanus</i> Simoni succedit, 1 Macc. XVI. 1. sqq. 21. sqq. & imperat A. XXXI. teste JOSEPHO <i>A. J.</i> L. XIII. c. XVIII. p. 454. L. XX. c. VIII. p. 701. Hic definit liber primus Maccabæorum, historiam annorum XXXIV. complexus, quam Josephus deinde continuat.	177	618
3901	<i>Aristobulus</i> , regio titulo sumto, regnat A. I. Vid. JOSEPHI <i>A. J.</i> L. XIII. c. XIX. p. 455. L. XX. c. VIII. p. 701.	208	649
3902	<i>Alexander Fannaus</i> , Aristobuli frater, succedit, & diem suum obit anno regni sui XXVII. s. annis XXVI. expletis. JOSEPH. <i>A. J.</i> L. XIII. c. XXIII. p. 463.	209	650
328	<i>Alexandra</i> regni sumit gubernacula, & regnat A. IX. Vid. JOSEPHI <i>A. J.</i> L. XIII. c. XXIV. p. 465. L. XX. c. VIII. p. 701.	235	676
3937	<i>Hyrcanus</i> , qui per omne illud tempus pontificatum tenuit, quo Alexandra regimini præfuit, sub initium hujus anni in pontificatu confirmatur, Q. Hortensio, & Q. Metello Cretico Coss. JOSEPH. <i>A. J.</i> L. XX. c. VIII. p. 701. L. XIV. c. I. p. 468. qui est A. U. C. 685. Vid. CAM. de SYLVESTRIS <i>Chronol.</i> p. 236. <i>Aristobulus</i> autem, frater Hyrcani, qui statim post mortem Alexandræ regnum occupaverat, victo Hyrcano illum ad privatam redi-	244	685

A.M.		A. Seleuc.	A ab U.C.
	git vitam, Vid. JOSEPHI <i>A. J.</i> . c. & regnat A. VI. & mens. VI. H. PRIDEAVX Connex. V. & N. T. P. II. p. 501. sqq.		
3943	<i>Pompejus</i> , Hierosolyma, tempore magni Hebræorum jejunii, mense Tisri, qui nostro Septembri respondet, expugnata, <i>Hyrcano</i> Pontificatum reddit, Tullio Cicerone & C. Antonio Coss. teste JOSEPHO <i>A. J. L. XIV.</i> c. VIII. p. 474. qui est A. U. C. 691. vid. <i>CAM. de SYLVESTRIS Chron.</i> p. 236.	250	691
3966	Postquam Hyrcanus usque in A. XXIV. Pontificatui præfuit, <i>Antigonus</i> ope Parthorum regno potitur, & illud tenet A. III. & mens. III. JOSEPH. <i>A. J. L. XX.</i> c. VIII. p. 701. L. XIV. c. XXIV. p. 494. sqq. <i>Herodes</i> autem Romam adit, & a Romanis rex declaratur Domitio Calvino, & L. Asinio Pollione Coss. teste JOSEPHO <i>A. J. L. XIV.</i> c. XXVI. p. 499. qui est A. U. C. 714. Vid. <i>CAM. de SYLVESTRIS Chron.</i> p. 260.	273	714
3969	<i>Herodes</i> expugnata Hierosolyma, regnum occupat, M. Agrippa, & Canidio Gallo Coss. teste JOSEPHO <i>A. J. L. XIV.</i> c. XXVIII. p. 507. qui est A. U. C. 717. Vid. <i>CAM. de SYLVESTRIS Chron.</i> l. c. Capta autem est Hierosolyma teste JOSEPHO l. c. eodem die, qua ante annos XXVII. a Pompejo expugnata est, ex quo Josephi testimonio liquido constat, quod annos incompletos velut duos integros supputet, sive, quod velut annum integrum numeret & eum, quo aliquid fieri cœpit, & eum, quo id fieri desiit, quæcumque tandem primi anni pars transfisset, & ultimi superesset, nam Pompejus Hierosolymam expugnavit A. U. C. 691. Vid. <i>CAM. de SYLVESTRIS Chronol.</i> p. 82. 92. sqq.	276	717
4002	<i>Herodes</i> diem suum obit, post detrusum regno Antigonum anno XXXIV. ex quo autem a Romanis rex declaratus est, anno XXXVII. teste JOSEPHO <i>A. J. L. XVII.</i> c. X. p. 599. Intelligit vero Josephus more consueti annos non completos, sed incompletos, s. A. U. C. 714. & 750. qui licet incompleti, tamen velut duos annos integros supputat, quare, si annis U. C. 714. & 750. incompletis anni XXXV. adduntur, exurgit summa annorum XXXVII. quos Josephus ab illo tempore, quo Herodes	309	750

A.M.

A. | A.ab
Seleuc. | U.C.

rex creatus est, usque ad mortem ejus numerat. Quod autem Herodes hoc anno mortuus sit, hoc quoque modo probari potest: JOSEPHVS A. 7 L. XX. c. VIII p. 701. sunt, inquit, qui ab Herodis principatu usque in diem, quo templum & urbs incendente Tito conflagravit, pontificatum gesserunt, in uniuersum numero viginti octo, tempusque eorum sacerdotii centum anni & septem insuper. Quum vero eversio Hierosolymorum sub Tito, anno U. C. 822. acciderit, vid. Tab. Chronol. N. T. P. II. N. XIX. & Herodes A. U. C. 717. regnum adeptus sit, & Josephus annos incompletos pro completis habeat, necessario inde sequitur, Herodem A. U. C. 750. vita excessisse, si enim anno U. C. 717. adduntur 106. anni completi, exsurgit numerus 823. annorum.

Si quis autem scire cupiat, quæ Olympiade hoc, vel illud acciderit, de A. M. subtrahat 3226. residuum dividat per 4. Quotus est Olympias elapsa, si nihil remanet, est annus primus illius Olympiadis quam quotus indicat, si 1. remanet, annus secundus, si 2. annus tertius, si 3. annus quartus.

VIII. PARTITIO. Describuntur res gestæ

I. Mattathææ. c. I. II.

II. Judæ Maccabæi. c. III-VIII. 1-27.

III. Jonathanis. c. VIII. 28-32-XII. 1-fin.

IV. Simonis. c. XIII-XVI.

IX. CONTINUATIO RERVM, QUÆ HOC LIBRO EXPONVNTVR. Traditur hæc in libro IV. Maccabæorum, qui enarrat historiam XXXI. annorum, sistentem nobis res gestas *Johannis*, a sub acto Hyrcano, *Hyrcani* cognominati.

M

MEM-

MEMBRUM VII.

DE LIBRO II. MACCABÆORVM.

I. INSCRIPTIO. *Μακκαβαίων Β* inscribitur. Continuat vero neutiquam historiam in libro primo descriptam, sed tradit capp. III. IV. V. omissam, & hanc antecedentem, repetitis quibusdam historiis, quæ libro primo sunt expositæ.

II. AVCTOR. Anonymus quidam, ex *Jasonis* cujusdam, Judæi Cyrenæi, scripto, hunc librum confecit, c. II. 24. exceptis binis epistolis præmissis, quas desumpsit aut ex Archivis Alexandrinæ Synagogæ, aut ex Callinico Sutorio. Quod autem auctor inter viros *θεορνευσας* neutiquam referendus sit, extra dubitationis aleam positum est, nam non majorem humana libro suo auctoritatem tribuit, 2 Macc. II. 31. de difficultate operis, in libro ex aliorum scriptis colligendo, conqueritur, v. 25-28. & veniam mendarum, si quæ sint forte, a lectoribus petit. c. XV. 39. 40. conf. N. IV.

III. LINGVA ORIGINALIS. Scriptus est lingua non hebraica, sed *græca*. HIERONYMVS præf. in libr. Regum T. III. Opp. p. m. 13. *Macca- bæorum*, inquit, *librum primum hebraicum reperi, secundus græcus est, quod ex ipsa quoque phrasi probari potest.* Exstat versio syriaca & arabica.

IV. NÆVI. (1) Refert narrationes fabulis proximis. c. I. 18. sqq. II. 5. III. 25. 26. (2) Laudat *αυλοχειριαν* Razix. c. XIV. 37. sqq. (3) Contradicit libris canonicis. Vid. c. II. 5-8. coll. Jer. III. 16. c. I. 18. coll. Efr. III. 2. 3. ex quo loco constat, quod templum a Zorobabele & Josua prius ædificatum fuit, quam Nehemias Judæam adiit, &
c. I.

c. I. 13. coll. Dan. VIII. 25. quo loco prædicitur, Antiochum sine manu iri fractum, quod etiam teste auctore libri I. Macc. evenit. (4) Perhibet c. X. 3. templum post biennium purgatum esse, ast factum hoc est anno tertio, testibus JOSEPHO & EVSEBIO. (5) Refert & laudat c. XII. 43-46. quod Judas pro mortuis, & quidem pro iis, qui se idololatriæ ac sacrilegii crimine polluerant, oraverit, & expiationem fecerit, ut a peccato liberarentur, post mortem vero nulla est expiatio & peccatorum remissio. Quamvis autem tam largæavorum seges in hoc libro deprehendatur, tamen apud Pontificios maximam obtinuit auctoritatem, ac acerrimo studio ab ipsis defenditur, cujus rationem adsequi nulla opus est divinatione, nam asserunt ex hoc libro, pro mortuis esse orandum, & sacrificium offerendum, quod maximum illis parit lucrum. Nos hunc librum præcipue æstimamus ob testimonia egregia de futura universali resurrectione mortuorum, nam hæc nos docent, ecclesiam Judaicam illam credidisse.

V. LOCA, QUÆ CONTRADICUNT LIBRO I. MACCAB. Deprehendimus contradictionem in relatione de morte Antiochi, c. I. 13. sqq. coll. 2 Macc. VI. 8. sqq. de tempore occisi Judæ, c. I. 10. coll. 1 Macc. IX. 3. de numero occisorum in obsidione Bethsuræ. c. XI. XIII. coll. 1 Macc. VI.

VI. ARGUMENTVM. Tradit historiam a primo anno Seleuci Philopatoris, usque ad interfectionem Nicanoris, quæ contigit anno Judæ Maccabæi sexto. c. III. 3. c. XV. 38. coll. 1 Macc. VII. 47.

VII. SCOPVS. Ille est idem, ac libri primi.

VIII. PARTITIO. Traditur
M 2

I. Epi-

- I. Epistola gemina invitatoria Judæorum Hierosolymitanorum ad Judæos in Ægypto. c. I. II. 1-19.
 II. Epitome e Jasonis historia. v. 20-XI. 1-fin.
 III. Historia Judæ, e Callinico, aut alio scriptore, contracta. c. XII-XV.

MEMBRUM VIII.

DE LIBRO III. MACCABÆORVM.

- I. INSCRIPTIO. Illa est *Μακκαβαίων γ*; appellatur autem liber Maccabæorum tantum a cognitione materiæ, quæ in libris Maccabæorum continetur, s. quia heroes, de quibus in hoc libro agitur, non minus se constantes & cordatos, quam Juda fratresque ejus, in adserendo Dei cultu & honore præstiterunt; enarrantur enim res, quæ L. circiter annis ante Judæ Maccabæi tempora gestæ sunt. Quæ cum ita sint, liber hic *tertius* primo, *secundus* secundo, & *primus* tertio loco ponendus est.
- II. LINGVA ORIGINALIS. Consignatus est ab auctore lingua *græca*. Exstat versio syriaca, non autem latina antiqua, & hæc est ratio, ob quam ecclesia Romana hunc librum ceteris non adjecit.
- III. AUCTOR. De eo nihil certi constat, quidam ex dictionis similitudine *Philonem* juniorem constituerunt auctorem.
- IV. ARGUMENTVM. Describitur angustia & liberatio Judæorum Ægyptiacorum sub Ptolomæo Philopatore, qui *συγχρονον* habuit Antiochum M. patrem Seleuci & Antiochi illustris.

MEMBRVM IX.

DE ADDITAMENTIS ESTHERÆ.

- I. AUCTOR. Scriptor videtur hellenista aliquis, sive Judæus profelytus, sed incertæ ætatis, recentioris tamen, quandoquidem c. V. 1. fit mentio Ptolomæi & Cleopatræ.
- II. LINGVA, QVA SCRIPTVS EST. *Hieronymi* ætate tantum græca editio exstitit. Vid. ejus *præf. in libr. Esther.*
- III. LOCA, QVÆ CONTRADICVNT LIBRO CANONICO ESTHERÆ. Contradicitur huic libro in relatione *de marito Estheræ*; c. I. 1. (germ.) coll. Esth. I. 1. de *Mardocheo*, nam c. I. 3. describitur tanquam jam anno secundo Artaxerxis in ejus aula celebris & inclytus, in libro Estheræ autem c. I. inducitur tanquam privatus & obscurus; de *anno detectarum regi a Mardocheo insidiarum*; c. I. 1. & II. 2. coll. Esth. II. 16. de *tempore, quo præmium Mardocheo a rege datum est*; c. II. 5. coll. Esth. VI. 3. de *causa odii Hamanis adversus Mardocheum*; c. II. 6. coll. Esth. III. 5. & de *die exitio Judæorum destinato*; c. III. 6. coll. Esth. III. 13. & VIII. 12. Quamvis vero hæc additamenta libro canonico Estheræ contradicant, & a *Melitone, Athanasio, Gregorio Nazianzeno* aliisque rejecta sint, tamen a Pontificiis in numerum librorum canonicorum referuntur.
- IV. ARGVMENTVM. Continet specialem nonnullorum enarrationem, quæ in libro Estheræ tantum generatim commemorata sunt, additis passim fictionibus; nimirum describit somnium & indicium regi de proditoribus factum, decretum

Artaxerxis adversus Judæos editum, lamenta Estheræ, preces ejus ad Deum fufas, aditumque ad regem & decretum Artaxerxis pro Judæis servandis.

V. SCOPVS. Auctor veram in libello Estheræ contentam supplere & ornare voluit, quod autem infelici successu præstitit.

VI. PARTITIO. Describitur in hoc libro

I. Epistola regis Artaxerxis contra Judæos. c. I.

II. Preces Mardochei, totius Israelis & Esth. c. II. III.

III. Aditus reginæ Estheræ ad regem. c. IV.

IV. Regis epistola de festo Purim. c. V.

V. Descript. somni Mard. ejusdemque explic. c. VI.

MEMBRVM X.

DE HISTORIA SVSANNÆ.

I. INSCRIPTIO. Illa est *Græcis Συσαννα*, in versione vero latina vulgata cap. XIII. Danielis inscribitur. *Susanna* denotat *lilium*, vel *rosam*, aut *letitiam*.

II. AVCTOR. A veteribus historia Susannæ, Belis & draconis accepta fertur cuidam Habacuco ben Jesu, ex tribu Levi.

III. LINGVA ORIGINALIS. Scripta est lingua non hebraica, sed *græca*, nam ORIGENES in *L. de oratione*, & HIERONYMVS in *præf. ad Dan.* de additamentis Danielis testantur, hebraice illa nunquam exstitisse; & quod hæc historia primum græce prodierit, patet quoque ex paronomasia vocum *σχινον* & *σχιζειν* v. 54. 55. *πρινον* & *πριζειν* v. 58. 59. Exstat versio syriaca & arabica.

IV. ARGVMENTVM. Susannæ, uxoris Jojakimi, pudicitia, occasione lotionis a duobus impudicis presbyteris in periculum adducta, victrix exstitit, & primum quidem in horto ac solitudine; deinde

deinde vero, cum pia matrona post accusationem & damnationem ad supplicium esset rapta, opera Danielis in publico judicio, cum eventu iudicii in accusatores devoluti. Non autem verosimile videtur, veram esse historiam, quis enim credere potest, Judæos in captivitate sua, & quidem statim sub illius initium, quæ Danielis juvenus indicat, habuisse magistratus tales, qui capitalia potuerint agitare judicia; item, habuisse ampliora domicilia cum adjunctis hortis ad amœnitatem paratis, & populum non tantum ad simplicem vocem Danielis παιδαρις commotum, sed etiam ad tribunal regressum esse, senibus etiam illis populi iudicibus nihil quicquam contradicentibus.

MEMBRUM XI.

DE HISTORIA BELIS ET DRACONIS BABYLONICI.

- I. INSCRIPTIO. Illa est Βηλ καὶ Δρακῶν, in editione vulgata constituit cap. XIV. Danielis.
- II. AUCTOR. Vid. Membr. X. N. II. p. 182.
- III. LINGVA ORIGINALIS. Scripta est iingva *græca*. Exstat versio syriaca & arabica.
- IV. ARGUMENTUM. *Prioris* est: Daniel regi Cyro sacrificulorum, idolo Belis operantium, imposturas detegit, cum eventu interitus & excidii in impostores istos, & templum Belis. Bel autem idem significat, quod ebraicum בעל Dominus, & erat simulacrum ex ære conflatum; & *posterioris* argumentum est: Daniel draconem, cui divinus præstabatur cultus, destructurus, faucibus ejus placentam ingerit, efficitque, ut impedita per eam respiratione, medius crepet. Leonibus

nibus vero ideo objectus, alitur a Chabakuko, Danielis adversariis in foveam deinde præcipitatis & discerptis. Hæc vero omnia inter fabulas esse referenda, nemo sanæ mentis, negabit.

MEMBRUM XII.

DE PRECIBVS AZARIÆ, EJVS-
DEMOVE ET SOCIORVM HYMNO
IN FORNACE IGNEO.

- I. INSCRIPTIO. Illa est *Græcis τῶν τριῶν παιδῶν αἰνεσις*, & hæc *αἰνεσις* tertio Danielis capiti post v. 23. annecti solet in editionibus quibusdam.
- II. LINGVA ORIGINALIS. Scripti sunt hi libri lingua non hebraica, sed græca.
- III. ARGUMENTVM. *Azaria* suo & sociorum nomine confitetur peccata Israelitarum, petit, ut Deus populi sui tandem misereatur, & in fornace illæsus una cum sociis conservatur, Chaldæi vero ignem augentes, a flamma interficiuntur; quo facto *Azaria* ejusque socii celebrant Dei sapientiam, justitiam, bonitatem & omnipotentiam, & hæc omnia in rebus creatis considerare nos docent.
- IV. NÆVI. Quamvis hi hymni pulcherrimi sint, & sine ædificatione legi nequeant, tamen nævos adspersos habent, nam v. 15. gr. v. 38. germ. negatur, Judæis esse prophetas, cum tamen illo tempore Daniel & Ezechiel in Chaldæa officio prophetico functi sint, & v. 9. gr. 32. germ. rex Nebucadnezar vocatur *αδίκος καὶ πονηρότατος παραπάσαν τὴν γῆν*, quæ vero imprecandi ratio a consuetudine precandi, sanctis viris recepta, longissime recedit.

MEMBRVM XIII.

DE ORATIONE MANASSIS.

Hæc oratio rege Manasse, per seriam pœnitentiam animum a vitæ ante captivitatem actæ, vitiis purgante, minime equidem indigna est; eam tamen genuinam, & a Manasse ipso profectam esse, non facile quis credet, nam latina a primo sui ortu existit. Antiquissimus, qui hujus orationis meminit, est PSEVDO-CLEMENS L. II. *Const. Apost. c. XXII.* & forsitan ille ipse hanc orationem confecit. Occasionem illius concinnandæ præbuisse videtur 2 Par. XXXIII. 18.

MEMBRVM XIV.

DE LIBRO III. ESDRÆ.

- I. INSCRIPTIO. *Græcis* inscribitur *Εσδρας α,* & *Latinis* liber Esdræ tertius; est autem illis *primus Esdræ*, quia rem ab altiori origine repetere videtur, & habent librum Esræ canonicum, & Nehemiæ in unum volumen compactum pro *secundo*; *his* vero est *tertius*, quia librum Esdræ canonicum pro *primo*, & librum Nehemiæ pro *secundo* Esdræ agnoscunt.
- II. AVCTOR. Non *Ezra*, sed *incertus* aliquis historiæ sacræ studiosus, græcæque lingvæ peritus, hunc librum ex libris Esræ, Nehemiæ, Regum & Chronicorum composuit.
- III. LINGVA, QVA SCRIPTVS EST. Illa est *græca*, & exstat versio syriaca. Germanice hunc librum LV THERVS noluit transferre, & quæ exstat auctorem habet CRAMERV M.
- IV. NÆVI. Præter fabulas insperfas talia continet, quæ libris canonicis contradicunt; vid. c. I. 9. coll. 2 Par. XXXV. 9 c. II. 13. coll. Esr. I. 9. 10. c. V. 5. coll. Neh. XII. 10. quapropter neque a Pontificiis inter libros canonicos refertur.

V. TEMPVS, QVO SCRIPTVS EST. Probabiliter post tempora Malachiæ literis consignatus est.

VI. ARGVMENTVM. Historiæ quædam de templi destructione & instauratione, 2 Par. XXXV. XXXVI. & in libro Esræ descriptæ, repetuntur, & nonnullæ novæ c. III. & IV. inferuntur.

MEMBRVM XV.

DE LIBRO IV. ESDRÆ.

I. AVCTOR. Procul dubio exaratus est a *Judæo* ad Christum converso, sed cabalisticis principiis dedito, & ad fabulas propendente, nam c. II. 47. & VII. 28. Jesu filii Dei mentionem facit, & quæ c. VI. 49. & c. XIV. profert, sunt fabulæ talmudicæ.

II LINGVA ORIGINALIS. Scriptus est lingua *latina*, & exstat versio arabica, manu exarata, a latino exemplari valde discrepans.

III. TEMPVS, QVO SCRIPTVS EST. Probabiliter secundo post Christum seculo compositus est, nam in hoc libro passim apparent vestigia Apocalypseo Johannis.

IV. NÆVI. Illi præcipue deprehenduntur c. VI. 49. XIII. 12. 13. sqq. 42. XIV. 11-13. 21. sqq.

V. ARGVMENTVM. Continet objurgationes populi immorigeri, promissiones ecclesiæ gloriosæ per doctrinam evangelii Christo comparandæ, visiones mirificas, causas malorum, quæ Judæos presserunt, signaque futurorum, formasque usque ad instaurationem ecclesiæ per Christum & consolationem piorum. Sive: absolvitur disputatione, cur ecclesia Dei tanta mole calamitatum prematur, cum interea impii floreat & dominantur, ad quam quæstionem respondetur: secuturum esse judicium & pœnas impiorum, & gloriam piorum.

